

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Disputatio Theologica Inauguralis De Conversione
Judæorum Adhuc Futura, ex Hos. III. 4. 5. Minime
Probanda ...**

**Krakewitz, Albrecht Joachim von
Gryphiswaldiæ, [MDCCXXII?]**

VD18 13044273

urn:nbn:de:gbv:45:1-16805

(13)

Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS
De
**CONVERSIONE JUDÆ-
ORUM ADHUC FUTURA,**

ex Hof. III. 4. s.

MINIME PROBANDA,

*Adspirante Divina Gratia,
& moderante Summè Rev. Facultate Theologica*

P R A E S I D E

*SUMME REVERENDO, MAGNIFICO ATQUE EXCELLENTISSIMO
DOMINO,*

**DN. ALBERTO JOACHIMO
DE KRAKEVITZ,**

S. S. Theol. D. ac Prof. Prim. Fac. Theol. h. DECANO, Consist.
Regii Praeside, Duc. Pom. & Princip. Rugiæ Sup. Gen. Univ.
Gryphice h. RECTORE & Pro-Cancellario perpetuo,

DOMINO PROMOTORE AC FAUTORE

*omni observantiae cultu venerando,
Pro Obtinendis summis in Theologia Honoribus
in Acad. GRYPHISWALDENSI*

Die Sept. A. R. S. MDCCXXII. publicæ Disquisitioni subjicit
AUCTOR

JOACHIM SANDER,

S. S. Theol. & LL. OO. Professor in Gymnasio Regio Palæo-Sedinenſi.
Archi-Diaconus Marianus & Bibliothecarius.

*GRYPHISWALDIAE,
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, Reg. Acad. Typogr.*



SPLENDIDISSIMO

- Sedinensis
DARIO,

ISSIMIS, CONSULTISSIMIS
MINIS

PROVINCIALI,
IBUS,


ARIIS,
RIBUS,

TERITISSIMIS,
Evergetis suis
onoris cultus

inauguralem,
animo

NOMINUM


Farbkarte #13



SPLENDIDISSIMO
Inclutæ Civitatis Palæo-Sedinensis
ORDINI SENATORIO,
VIRIS
GENEROZO, PRÆ-NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS
PRUDENTISSIMIS DOMINIS
CONCILIARIO PROVINCIALI,
& CONSULIBUS,
DNN. SYNDICO,
CAMERARIIS,
SENATORIBUS,
PATRIÆ PATRIBUS MERITISSIMIS;
Dominis Patronis & Evergetis suis
omni observantiae & honoris cultu
prosequendis,
Dissertationem hanc Inauguralem,
grato in patriam animo
offert ac consecrat
AESTIMATISSIMORUM NOMINUM

perpetuus Cultor,
AUCTOR.





¶
¶

I sera sanè & luctuosa exulcerato hoc seculo Ecclesiæ nostræ Evangelico - Lutheranæ facies est. Cum innumeris iisqve perditissimis ipsi conflictandū est malis, intra & extra mœnia; & à qvibus auxilium atqve medelam sibi promittere possit vix habet. Epicureismus & Fanaticismus intus rebus novis student, fasces arripiunt, veramqve in exilium agere religionem allaborant. In ea, proh dolor! incidimus tempora, qvibus omnis & nulla religio pari ferè passu ambulant, & DEUM religiosè colere hebetis planè animi putatur. Religio certè habetur tutissima, nulli Religioni esse addictum, & in mera opinionum atqve superstitionis monstra redigere fidem, ingeniosum. Loquantur illud dias in auras hodienum emissæ tot Indifferentistarum & Naturalistarum scedæ, in qvibus Diabolos ipsos sæpe honorificantius de rebus sacris locutos fuisse deprehendes, qvam qvi in gremio Ecclesiæ nostræ nati, omniq; scientiarum genere liberaliter sunt instituti. Conferantur, qvæ hanc in rem commentantur Viri de orthodoxa nostra veritate meritissimi: FECHTIUS in Proemio Historiæ & Examinis novæ Theol. indifferentisticæ, & WERNSDORFFI in Pref. ad Comment. de Indifferentismo Religionum. Qvām non appositè de labe hac Ecclesiæ nostræ conqueritur SPENERUS in Consil. Theol. lat. P. I. C. I. art. 1. §. 7. Sæpe cogitavi eo rem deventuram, ut qvi Theologiae damus operam, non adeò controversiis istis incumbere necesse habeamus, qvæ inter eos agitantur, qvi CHRISTI profitemur doctrinam, qvam qvæ nobis cum apertè & opacis intercedent. Huic jungendus BUDDEUS in Disp. de Veritate Relig.

A 2

Christi



Christianæ; in qua iis nos reservatos temporibus dolet, in quibus inter Christianos sc̄pius pro Christianæ religionis veritate non minus pugnandum, quam si inter Ebnicos & Judeos viveremus. Altera ex parte magno undarum strepitu & impetu Ecclesiam nostram inundat Fanaticismus sub specie promovendæ pietatis, mutatisqve saltem personis antiqua illa Fanaticorum deliria Chiliasmum scil. Böhmisum & Enthusiasmum, aliaq̄ huj⁹ furfuris plura aperte in scenam producit, vel etiam talia, quæ Fanaticismo & Indifferentismo viam sternunt regiam. Hic, licet non unius sit generis, vid. VALENT. ERN. LOESCHERI *Origines Fanaticorum Dissert. I.* BUCHERUS in den Hauptgründen *Fanaticismi Cap. I.* WERNSDORFFIUS in Proæmio Collegii Antifanatici, magnam cladem infert Ecclesiæ nostræ, nunc Apostasiæ, nunc Papatus, nunc Babelis nomine eam perstringens, quo omnibus eam invisam abjectamqve reddat. Asseclæ ejus ad unum ferè omnes, nihil recti boniqve in ea superesse existimantes, præmaturo innovandi zelo, eò plerumqve abripuntur, ut nihil moderabile svadeant, faciantqve ipsi. Quid nunc dicam de dissidiis, quibus Orthodoxi ipsi in plurimis fidei capitibus inter se scinduntur, adeò ut in una civitate, unaq̄ Academia vix sint, qui consentiant docentes? Equidem nunquam non Ecclesiæ Doctores de uno altero religionis capite inter se contulerunt, non tamen hoc eo pruritu, & impotentis animi vi fuit factum, quia sollicitantur & sugillantur hodie, quæ longo ex tempore vera & salutaria fuere habita. Tros Rutulusve in Theologiam nunc pro novaturientis seculi genio involat, & quo ingeniosus habeatur, vel novæ alicujus subtilitatis, vel diu è veteribus damnatae sententiæ, pomum Eridos in medium projicit, novis hinc inde conquisitis coloribus, quibus eam fingat & pingat. *Indolue hoc fatum D. VAL. ERN. LOESCHERUS in Praefatione Prænotionibus Theolo*



Theologicis præmissa, ut & in Prænot. Salvianea: FOERTSCHIUS in Pref. Select. Theologicorum. Quid dicam de immoderato eorum studio, qui contrarias sibi in fundamentalibus religiones conciliare student, & quadrata rotundis miscendô, bonisqve nocendo maiores strages edunt, quam vix ullus alias professus veritatis hostis? Quid de periculis Ecclesiæ nostræ revelationibus, qvibus pro chronicò hoc ac deliro hujus seculi genio ad deosculandos Pontificiorum errores, non modo feruntur plurimi, sed & integra regna, Ducatus, ac Provinciæ ruptis pacis religiosæ vinculis qvodammodo absorbentur, suoqve in rebus fidei excidio ultimo appropinquant? Erat tempus, qvô attoniti qvasi & extra se positi Pontificii, mirabantur, totum mundum tam cito factum esse Lutheranum, nunc cœtum nostrum lacrymas inter & suspiria sedere, & sensim decrescere videmus, ubi florebat antea. Dolorosos hoc expressit gemitus MAYERO nostro in Disputatione de Religione Pontificia multum superstite, qbos §, I. videsis. At quid nunc illi, qui mederi his morbis tenentur? Non meis, sed FECHTII exprimam verbis in Præfat. ad Comment. DORSCHÆI in Evangelistas: Tempus nostrum funestum & Ecclesiæ lamentabile est. Nunquam enim ab extremo exitio & qvast funere proprius abfuisse Ecclesia mihi visa est nostra, quam hoc ipso tempore. Nec enim amplius de uno alteroqve Ecclesiæ capite conflictatio aliqua inter Ecclesiæ Doctores intercedit, cœu antea nonnunquam factum est, sed universa religio nostra, & qvicquid in illa bonum est & salutare ex longo tempore habitum, nunc libere licenterque convellitur, fugillatur, evertitur. Dormiunt Reges ac Principes nec afflictissimam Ecclesiæ calamitatem obfessi à ministris absolute sentiendi vel credendi libertati deditis, vel non vident, vel videre nolunt. Et quo ad hanc Ecclesiæ nostræ conflagrationem plus ignis qvisq; apportare potest, eo præclarius se de pietate mereri putat. Et in Dedicat. Tract. de Hæretificatione; Qui restituere nos, vulneraq; nostra sanare debebant,



bant, eorum societati sese addicunt, quorum unica à longo tempore cura
impetusque fuit, ut cladem Ecclesiae nostræ exitiumque afferrent. Qui
eorum aures ex sacro ordine vellicare deberent, seculi genio vel ipso etiam
externo gestu sese accommodantes, quicquid veritatis tanquam inestimabile
quoddam depositum apud nos depositum est, sub tricarum conten-
tionumque infamia traducunt. Cæteri, qui has tantas in Ecclesia nostra
mutationes nonnunquam etiam madidis oculis adspicimus, vel silemus,
vel ingemiscimus, vel nos dogmatum commentis exasperamus. His
conflictatur malis Ecclesia nostra intra muros, & quibus non
concutitur arietibus ab extra? Qvos non horrendos zelota-
rum thrasonismos audire & legere saepe coguntur Protestan-
tes? Quam superbæ & acerbæ ipsis non intentantur minæ?
Scriptis cum suis nihil adversus nos valent adversarii male-
dicentissimis, vi rem aggrediuntur, cœlumque & terram
miscere student ad opprimendam religionis nostræ libertatem
tot pectorum monumentis celebratam. Hoc autem cum
sine summis in Imperio Romano motibus fieri non posse per-
spiciunt Jesuitæ, suis sunt auctores, ut sapienter Evangelicos
opprimant, capita ipsis subtrahendo, quo sic Ducibus desti-
tuti, membra pedetentim labascant. Hinc illæ lacrymæ,
quibus tot Regnorum & Provinciarum revolutiones vel jam
factæ, vel adhuc propinquæ deplorari satis non possunt. Sic
pugnavit Ecclesia prioribus temporibus adversus Leonem: pugnat modo
adversus Draconem. (qui astu rem agit) Sed quomodo victus est Leo,
vincetur & Draco. Quæ fortitudo Leonis vel Draconis contra illum de
quo scriptum est. Vicit Leo de Tribu Juda! Aug. Tom. V. Part. II.
Serm. 315. Stat tamen Roma in acie contra nos, & jam de
devictis nobis superbe gloriatur. Quem nobis cecinere
quondam lessum pp. KELLERUS, SCHREINERUS, SCHÖNE-
MANNUS, aliique; eundem recantarunt in mordacissimis
suis scriptis Jesuitæ recurrente seculo Reformationis nostræ
secundo



secundo, qvos inter omnium maximè vocalis fuit P. KRAUSS. Hæc cum ita sint, qvis est, qvi non convictus de infelicissimo Ecclesiæ nostræ Evangelico-Lutheranæ statu ingemiseret illud Polycarpi: ô DEUS, in qvæ nos reservasti tempora! conclamatas has religionis nostræ res prolixius declararunt LOESCHER⁹ in Timotheo suo Verino in Præf. WEISMANN⁹ in Introd. in memorabilia H. E. N. T. Part. II. See. XVII. §. 36. pag. 1275. & FECHTIUS, qbi præter superius adducta his notatu dignis verbis claudit Collégium illud qvod in H. E. habuit: verè de fine seculi nostri dici potest: Extremum occupat scabies. Nec enim unquam Ecclesia nostra aut deteriori conditione fuit, aut infeliori.

Nihilominus tamen sunt, qvod summopere demirandum, qvi rebus nostris tam exulceratis, in ultima hac mundi fece aurea sibi promittant tempora, parum memores, ad qvæstionem CHRISTI *Luc. XVIII. 8.* magisterialem, horis singulis reale sese offerre responsum negativum.. Majorem enim adhuc Ecclesiæ superfuturam somniant felicitatem, qvâ Anti-Christus excidendum, prædicatio Evangelii universalis itenda, conjuncta cum conversione Gentilium & in primis Judæorum prorsus singulari, & regnum illud Chiliaesticum erigendum.. Verum strenuè sese his opposuere gravissimi seculi nostri Theologi variis in Tractatibus hunc in rem conscriptis suūa cum αὐγεῖσι, qvorum numerum iniit NIHENCK in Compendio errorum Pietisticorum Part. I. Lib. XVI. Err. 1. Provocavit autem pars adversa ad alios ex orthodoxis, qvos in controversia de Conversione Judæorum si non totali, tamen plane singulari, ὥμοψις plane habet, & problema existimat, de qvo in utramque partem disputari possit.. Non negamus, multa hanc in rem disceptasse inter sese Theologos etiam orthodoxos, qbos pro & contra adductos vide in Disp. de Conversione Judæorum sub CALOVIO habita, & à CALOVIO ad Cap. XI. ad Rom. ex

Patri-



Patribus, Pontificiis & Reformatis verò Sylvam collegere VOETIUS in Disp. de generali Iudeorum Conversione Tom. II. p. 126. HOTTINGERUS Lib. I. Phil. Sal. II. Cap. I. ita tamen ut constantissimè chiliasmo tam crasso, qvam subtili sese opponerent, contenderentqve calamitates & contentiones Ecclesiæ ad finem usqve mundi perduraturas esse. Hanc qvoqve sententiam habebant probabilem, vel rem in voto positam, aut cum σωέχειν conjunctam, nisi CALIXTUM excipias, qvi eam απολόγους afferuit, attamen sine spe meliorum temporum. Toto igitur cœlo distant à modernis Novatoribus, qvi eam cum futura hujus seculi felicitate finem mundi proximè antecessura, vel etiam in ipso regno Chilastico futura certo certius afferunt, innumerisqve Fanaticorum deliriis involvunt. Solent hi inter palmaria V. T. dicta, continuo provocare ad illud Hosee III. 4. 5. in quo sese non reperisse putant, qvod pueri solent infabis: Verba sunt: *Nam dies multos sedebunt filii Israël, non Rex, & non Princeps nec sacrificium, nec statua, nec Ephod, nec Theraphim* (scil. ipsis erunt). Deinde revertentur filii Israëlis, & qværent Jehovam DEUM suum, & Davidem Regem suum, & cum timore venient ad Jehovam, & ad bonum ejus in extremitate dierum.

Atqve hoc mihi nunc dictum ex præscripto Summe Rey. Facultatis Theologicæ pro Gradu in Theologia summo capessendo contra modernos Novatores aliosqve conversionem Iudeorum insignem adhuc futuram ei superstruentes est explicandum, & animus mutandus commentandi non nihil, de misero qvidem, minimè tamen in agone constituta, qvod volunt hodienum multi, Ecclesia nostra. Qvod dum molior præmittenda erit primo loco dicti explicatio, eiqve annetenda qvæstio: An de Conversione Iudeorum adhæc speranda h. l. primo sit. Tu modo cepta mea, bone JESU secunda.

§. I. נתקין



§. I.

תְּקִין עַצְמָנו כְּפָרוֹדוֹ כְּרוֹ שָׁנָכָנָס לְטוּקָלִין *Preparemus nos in vestibulo ut possimus intrare in triclinium, inquit R. Jacob in פרקי אבות Cap. IV. n. 16. vid. DRUSII Adagia hebr. Dec. VII. ad 3.* Hujus & nos, alio tamen sensu in exordio Dissertationis nostræ memores, medullam totius hujus capitis ob oculos ponimus, posteriorem illius modò partem explicaturi. Ejusdem scil. hoc caput commatis est cum duobus prioribus. Qvæ enim in eis Propheta prolixius de Judæorum perfidia & DEI justitia pariter ac gratia dixerat, ea iterata vice ὡς ἐν συνόψει in hoc pertractantur, id qvod Prophetis solenne esse testatur Luthe-rus noster ad hoc caput. Mulier fornicaria Synagogæ Judaicæ, Propheta autem DEI personam induunt. Duabus igitur absolvitur partibus, qvarum prior typica, posterior antitypica est, & qvod primum figuratis, postea propriis exponit verbis. Typum sistit uxor fornicaria in tribus prioribus comitatibus, qvæ continent. (1) expressum DEI mandatum, *vers. 1.* (2) Prophetæ obseqvium, tam facto & conventione, *vers. 2.* qvām dicto & instructione declaratum, *vers. 3.* Antitypum duobus in sequentibus versibus expressum absolvunt Israël apostata & DEUS misericordia motus. Quemadmodum enim Prophetæ uxor, posthabito matrimonii fœdere, adulterio sese polluerat; Ita Israël, cum qvo DEUS spirituale contraxerat matrimonium spirituali sese fœdaverat adulterio. Utī vero Propheta adulteram hanc matrimonio suo exturbarat, & res suas sibi habere jufferat; Ita qvoqve DEUS cum Israële divortium fecerat, qvod comitem habebat ejectionem X. Tribuum Israélis ē Terra Sancta denudatam, *vers. 4.* Sicut verò Propheta repudiati uxorem in gratiam recipere, & in mutuo cum ea amore vivere jubebatur, id qvod & præstítit; Ita & clementissimum Numen Israélitas in gratiam

B

tiam



tiam denuo receptum & per CHRISTUM ante novissimum diem plurimos esse conversum, benignissime promittit, ver. 5.

§. II. Distinctior nunc explicatio versiculi quarti, statum populi Israëlitici destitutum exprimentis, est tradenda, & de vocibus dispiciendum singulatim. **כ** particula est Systatica, cuius radicem ineptè à **כִּי** deducit HUTTERUS, notatus à PFEIFFERO in Quæst. Philol. Diss. III. Quæst. IV. Causal is habetur plurimis, & redditur à LXX. διότι Pagn. Jun. & Trem. nam, aliis tamen melius explanativa censemur. Accommodationem enim & planiorem explicationem superius dictorum ultima hæc pars continet, quâ factum Prophetæ enodatur. Conjugit has significaciones SEB. SCHMIDIUS ad b. l. qvia DEUS hanc accommodationem ita subjicit, ut causam exponat, quare voluerit à Propheta fieri, quæ facere debebat. Usurpatur hæc vox sacræ in literis vel categorematicæ, vel syncategorematice. Illa ratione nominascit, & adustionem notat, Esa. III. 24. Hoc autem respectu particula plerumq; est αἰτιολογική nam, quia, ὅτι γάρ, non tamen semper, ut vult R. DAV. KIMCHI, notatus à Cl. DANTZIO in Interpret. §. 183. Cap. IV. Varios ejus significatus vide apud GLASSIUM Lib. III. Tract. VII. Can. 17. STOCKIUM in Cl. L. S. & NOLDIUM in Concord. Particularum pag. 393. seq. in quibus nobis notandus, quod concludendi sæpe rationem infert.

§. III. יְמִים **רַבִּים** LXX. ἡμέρας πολλὰς Vulg. dies multos, complures integros annos, & longissimi temporis tractum h. l. infert. **יְמִין** Pluralis Numeri est, pro quo bis terminatio fœminina occurrit, Deut. XXXII. 7. Ps. XC. 15. vel etiam more Chaldaeorum יְמִין Gen. XXIV. 24. semel defectivē **יוֹם** Num. VI. 5. **יְמִין** Singulare non hebraicæ à יְמִין quod mare notat, ut GUSSETIO videtur, eo quod dies primum affulserit terræ in quā



qua Paradisus erat à vespera & à mari mediterraneo, sed Arabicæ originis. STOCKIUS *ad hanc vocem*. Propriè infert tempus lucis, qvod nocti opponitur, *Gen. I. s. 14. 16. XXXI. 39. Deut. IX. 9.* Tropicè autem tempus die nocteque constans, adeoque diem & naturalem & artificialem, nec non tempus multis diebus constans. GLASSIUS *Lib. V. Tract. I. Cap. XVI. n. 3.* & annotante KIMCHIO *ad Ezech. XXIV. 26.* aliqando idem est ac זמָן & תְּנִינָה. In plurali qvandoque annum denotat integrum, tot scil. dies qvot annum efficiunt, idque fere qvando sine restringente numerali ponitur, *Lev. XXV. 29. 2. Chron. XXI. 19.* Hinc וְתַּחֲנֵן *Jud. XVII. 10.* יְמִים מִתְּמִימָה *I. Sam. I. 3. 2. Chron. XXI. 19.* Addit GUSSETIUS in *Comment. L. E. in mensure annalis significatu non habere ה Demonstrativum præfixum*; *Hoc autem præsente dies propriè dictos & simplices esse intelligendos.* Verum etiam absente ו sumi pro spatio temporis indefinito docet trita illa locutio הנָה יְמִים כָּאֵם & discernitur à significatione anni per circumstantias. Plura de hac voce notatu digniora, vid. ap. GLASSIUM, GUSSETIUM, cc. II. Hoc loco complures annos notat, eumque in finem adjunctum habet Adjectivum plurale רְבִים cuius singulare idem est ac *multus*, *copiosus*, *magnus*. Hinc LUTHERUS reddit eine lange Zeit. Non ergo complementum hujus vaticinii in captivitate Babylo-nica est qværendum, qvæ septuaginta saltem annorum fuit, qvod exiguum temporis spatium non æque in Scriptura S. per וְיָמִים solet definiri, sed multo longius. Planior qvoque est convenientia hujus vaticinii cum captivitate Assy-riaca qvippe qvæ diuturnior multò & calamitosior quam Babylonica fuit. Accedit & hoc, per Israélitas non Tribus Judæ ac Benjaminis, sed reliquas X. h. l. venire intelligendas, id qvod mox prolixius planum faciemus. Illud igitur temporis spatium h. l. est intelligendum, qvod intercessit inter

abductionem in captivitatem Assyriacam à Salmanassare consummatam, 2. Reg. XVII. 5. ad restitutionem usqve Israëlis per CHRISTUM facta, tempus verè longum, septem & qvot excurrunt anni, constans seculis, juxta calculum Sethi Calvisie in Opere Chronologico fol. 207. His accedunt anni ad nostra usqve & finem mundi perduratura tempora, cum nunquam fuerit reversus universus populus Israël nec redditurus unquam ad peculiarem Politiae formam, ii qvoque, qvi tempore solutæ captivitatis Babylonicae cum Juda & Benjamine ex reliquis Tribubus reversi, haud ita multi fuerint.

§. IV. יִשְׁבּוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל Sedebunt filii Israël. Jon. וְתַבּוּ אֶת־בָּיִת־יְהוָה Vulg. Sedebunt... יִשְׁבּ ב' qvod in genere sessionem notat, inter alia qvoque significata manendi & permanendi notionem infert, qvia qvi sedet, alicubi manet, Gen. XIX. 30. 2. Reg. II. 2. 4. 6. Exod. XXIV. 14. Frequentissimè autem omnium habitare & commorari significat... Variè hoc verbum sumitur, & complures improprias format significaciones ex additis vocibus, prout illæ bonæ vel malæ sunt, significatum trahentes. Vid. GUSSETIUS in Comment. L. E. LEIGH in Crit. S. & STOCKIUS in Cl. L. S. ad hanc vocem. Inprimis modicatè statum miserum & contemptum indicat, qvemadmodum è contrario surgere fortunatum ac lœtum... Sedere mœrentium est, qvi præ animi sæpe dolore qvid agant, qvidve omittant nesciunt, Job. II. 13. Neh. I. 4. Inde transferri solet ad captivos, Jer. XXXII. 16. lugentes, Es. XLVII. 1. 5. desolatos, I. Sam. XII. 16. Job. I. 20. Jer. II. 18. ad dolorem viduarum, Es. XLVII. 9. Thren. I. 1. Hæc qvoque significatio hujus loci est. Sedebunt filii Israël more scil. viduarum atqve mœrentium desolati & afflitti, ideoqve lugentes & squalidi, qvod congruit typo sedentis fœminæ, & accommodationi ad destitutum eorum statum... Sicut enim mulier adultera sedet, ita ut non habe-

haberet, qvos olim habuerat seu maritum, seu procos; Sic etiam sessuri erant Israélitæ sine Rege Principe, aliisque exuti ornamentis, tam in Republica, quam Ecclesia. Ii autem, qvos miser-hic status mansurus erat, sunt **בָנִי וַיֹּאמֶר**. constructum Plurale habet Singularem **בָנָה** à Rad. **בָנָה** *edificavit* qvia per filios ædificantur parentes, *Gen. XVI. 2. XXX. 3.* & conservatio atque prorogatio domus paternæ atq; familiæ in filiis consistit. Vid. BUXT. *in Lex. Thalm.* Varias hoc nomen periphrases & Hebraismos insignes parit, de qvibus consultantur GLASSIUS *Phil. Lib. III. T. I. c. 36.* GUSSETIUS *in Comment.* L. E. CLERICUS *in Qvæst. S. XXII.* Inprimis sumitur aliquando pro liberis promiscuè nulla ratione sexus habita, *Gen. III. 16. Ps. CXXVII. 3. Ef. XIII. 18.* aliquando genitos masculos tantum denotat, *Gen. V. 4. & 28. XVI. II. 15.* In Plurali quoque posteros indicat, *Exod. I. 7. Jer. XXXI. 29.* & nepotes *Gen. XXIX. 5. XXXII. 1.* qvæ significatio hujus quoq; loci est. **יִשְׂרָאֵל** autem Nomen Proprium est, Jacobo Patriarchæ ab ipso Angelo colluctatore inditum, *Gen. XXXII. 29.* cuius Etymologiam ipsemet Angelus c. l. aperit, qvicqvæ etiam alii in contrarium commiscuntur. Israël igitur vi vocis idem est ac victor DEI seu Princeps. PFEIFFERUS *in Dub. Vex. Cap. I. Lib. 62.* ubi complures de hac voce adduxit auctores. Hoc autem Jacobo initio inditum postea in familiam ejus, & successu temporis in universum populum transiit, qvi Hebræus dicitur non à transitu Abrahami ex Chaldæa in Cananæam, ut multis placet Philologis; Sed ab Hebero pronepote Semi, & Religionis & primævæ lingvæ propagatore. PFEIFFERUS *in Dub. Vex. Cent. I. Lib. 36.* & qvi ab ipso adducti sunt. LEVSDENIUS *in Joële Illustr. pag. 66. 67.* LEYDECKERUS *de R. Hebr. P. I. pag. 3. 4.* LOESCHERUS *de causis L. H. pag. 53.* MAJUS *in Dissert. S. Lib. II. pag. 109.* Israëlis autem nomine insigniebantur omnes ante scissuram X. Tribuum,

post eam autem יהודים dicebantur qui Reges habebant ex stirpe Judæ, Israël autem qui Jeroboamum sibi in Samaria constituerant Regem, X. scil. Tribus, i. Reg. XII. quæ distinctione ipsis quoque Prophetis non inusitata est, Jer. III. II. XXX. 32. Hos. I. 9. Perpetuo autem servari hoc discrimen in Prophatarum oraculis Cunæi quidem est sententia L. I. C. x. non tamen plurimorum aliorum, cum Juda & Benjamin istud non omnino deposuissent. Vid. LEYD. de Republ. Hebr. P. I. pag. 5. Licet autem Judæi nomine Tribus Juda & Benjamin dicterentur, post captivitatem tamen Babyloniam evasit hoc nomen & totius gentis & religionis commune, non modo reducibus cum Judæis ex captivitate Babylonica Israélites, sed & reliquis omnibus cujuscunq; essent cœli aut climatis. Probat hoc in primis contra Cunæum Christianus NOLDIUS de vita & gestis Herodum à Crenio collecta Fasc. IV. Exercit. I. philol. pag. 616. Ἰσραὴλ etiam Gal. I. 14. religionem notat, non Tribui Judæ peculiarem, sed toti δωδεκαφύλῳ commune Act. XXVI. 7. Nihilominus tamen Israélis nomen gratiosissimum ipsis mansit, quo insigniri gloriosum sibi ducebant, & Apostolos ad captandam eorum benevolentiam prima προσφωνήσει eos Israélitas appellasse comperimus, Act. II. 22. III. 12. 25. XIII. 16. Rom. IX. 4. 6. 7. Extensum quoque hoc nomen est in N. T. ad omnes Jacobi posteros tām corporales, qvām etiam spirituales, i. e. omnes electos ex Judæis & Gentibus. Israélitæ enim γνησίως tales sunt omnes omnino fideles, non ex Jacobo tantum propagati, Rom. II. 28. 29. Gal. III. 8. 9., sed & qui eadem fide sunt ornati, 2. Petr. I. 1. CLUVERUS Diluc. Apoc. T. II. pag. 278. HOTTING. Thes. Phil. Lib. I. Cap. I. pag. 6. Sumitur autem hoc nomen sacris in literis latè, strictè, strictissimè. Latè XII. Tribù indicat; Strictè X. Tribus tantum, strictissimè autem soli Judæi, specialiter sic dicti, hoc nomine insigniuntur, i. Maccab. IV. 20.

Qvō



Qvō sensu h. l. veniat, non omnium una est sententia. Latè qvi esse sumendum existimant, ut qvidem recentiorum non pauci sunt, non habent rationem ipsius distinctionis *Capite I.* & *II.* factæ inter Israél & Judam, cum tamen non sint confundenda, qvæ Propheta distingvit. Neqve admittunt hoc prædicata *vers. 4.* enumerata, nisi nostrum tempus respicere velimus, in qvo Israélitæ pariter atqve Judæ destituuntur Regibus, Judicibus Ephod, Theraphim & sacrificio, adeoqve ex convenientia hac eventus prædictionem conjicere. Verum non ob idolatriam, sed ob occisum CHRISTUM Judæi hodienum hæc patiuntur, adeoq; aliæ sunt illorum exitii moderni causæ, ob qvas ad idem tempus referri non potest. *Videantur* CORNEL. à LAPIDE, JOH. SCHMIDIUS, RIVETUS *ad b. l.* Nec pugnat pro ipsis argumentum per Israél X. Tribus semper intelligi, ubi non fit expressa distinctio inter Judam & Israél, aut ut Riberæ placet cum X. Tribus Israél potius, qvam filii Israél appellantur. Contrarium patet ex 2. *Reg. VIII. 12. Coll. cum Cap. XV. 6. 12.* ubi per Israél X. Tribus intelligendæ, & 1. *Reg. XII. 16. 17. 18.* ubi כָּנֵי יִשְׂרָאֵל & promiscuè adhibentur. Qvi duas tantum Tribus Judam scil. & Benjaminem intelligendas volunt, cujus inter alios TARNOVIUS qvoqve est in h. l. sententiæ, vel non vident, vel videre nolunt, qvam prædicta *vers. 4.* posita, nec tempori ipsorum captivitatis, nec ei, qvod ad CHRISTI usqve adventum intercessit, accommodari commodè haud possint. Sors enim Judæorum in Babylonia longè felicior erat præ ea, qva utebantur Israélitæ in exilio, & utroqve tempore aliquam adhuc fuisse formam & Republicæ & cultus divini nemini potest esse obscurum, res illorum qvi pensi habet. Si inter initium & complementum distingvere velint, & hoc ad præsens referre tempus, prior redibit responsio. Optima est sententia, qva ad X. Tribus, in capti-



in captivitatem Assyriacam abductas hanc propriè pertinere
commentationem defenditur. Mandatum enim accipit Pro-
pheta iterata vice adeundi eos, ad quos prius fuerat missus, &
iterandi prædictionem suam, quæ ad Israëlitas strictè tales
fuerat directa, uti patet ex Cap. I. Indicat hoc particula 71v
vers. 1 *Capitis nostri*, quæ ordinis est, & infert post prius ali-
quid aliud vel fieri, vel fieri debere annotante SEB. SCHMIDIO
ad h. loc. Longè quoque durius agit Propheta cum Israëlitis,
quam cum Juda, cum tamen hujus peccata non carerent seve-
rissimâ reprehensione, id quod indicio est Prophetam desti-
nato consilio missum fuisse ad Israëlem non Judam. Solenne
enim est Prophetis, ut illis populis, ad quos non sunt missi,
videantur parcere, vehementer autem invehantur in illum,
ad quem sunt ablegati. Vid. JOH. SCHMIDIUS in *Proleg. ad Hoseam*.
Adhæc expressa fit distinctio Israëlis & Judæ, *Cap. I. 6. 7. II. IV.*
15. 16. 17. V. s. Israëlis autem nomine Judæ contradistincti
tunc temporis veniebant X. Tribus. Accedit Prophetam
in primis in Idololatriam Israëlitarum, quæ spiritualis scorta-
tio est, fœdissimamque regni Israëlitici corruptionem invehi,
qua multis parasangis post se relinquebant Judam. Intro-
duxerat enim Jeroboamus I. idololatriam, *i. Reg. XII. 28.* cuius
peccaminosi instituti cum reliquis Israëlitarum Regibus
tenacissimus quoque erat Jeroboamus II., filius Joasi, Regis
Israëlis, quo satis feliciter alias imperante, officio suo Prophe-
tico fungebatur Hoseas. Huic religionis & divini cultus
corruptioni, ut fieri solet, immanis seqvebatur scelerum licen-
tia in omnibus statibus. Sacerdotes & Levitæ erant immi-
sericordes, *Cap. IV. 6.* Politici indulgebant genio, nec rationem
æqui bonique servabant, *VII. 3.* totus populus rebus secundis
ferendis impar luxu diffuebat, *VIII. II. XII. 5.* Hæc acriter &
asperè objurgat Propheta, eoq; regno Judæ contradistinguit,

Cap.

Cap. IV. 15. Ne dicam filium ex Prophetæ conjugæ primo suscepimus Jesreelem fuisse denominandum, qvâ eleganti paronomasiâ indicabatur pœna, qvam de populo suo sumpturus erat summum Numen propter suam defectionem à vero Israële. Samaria enim & Iesréel erant sedes regiæ Israélis, *1. Reg. XXI. 1.* *2. Reg. IX. 10. X. 6.* pro toto regno h. l. positæ & inclarerat ultima hæc ob excidium Joram & Jesabelis ibidem procuratum, *2. Reg. IX. 15. 16. 17. 30. 36.* ibidemqve contigisse stragem Israélitarum extremam à Salmanassare, *2. Reg. XVII. 4.* editam observat FRIEDL. in *Theol. Exeg. ad h. l.* Ultimo omnium, exceptis iis, qvæ in ipsius Qvæstionis pertractatione adh. affarentur, pro afferenda hac sententia adjecisse sufficiat, extra controversiam positum esse, qvæ seqvuntur, melius in captivitatem Assyriacam X. Tribuum, qvam Babyloniam duarum tantum Tribuum, dici atqve convenire, de qvo pluribus infra. Firmum igitur fixumqve nobis manet, totum hunc sermonem ad Israélitas, qvi ex X. Tribub⁹ erant, potissimum dirigi, in qvo consentientem habemus Jonathanem Chaldæum, qvi primam hujus vuticinii pericopam, qva Caput III. inchoatur ita παραΦεάζει : אָלַחֲנֵנִי נְכֹזָה עַר בֵּית יִשְׂרָאֵל vade, vaticinare prophetiam super domum Israël. Huic assurgunt ex nostris LUTHERUS, WEIMARIENSES, OSIANDER, SEE. & JOH. SCHMIDII, WINCKELMANNUS, MEISNERUS, aliiqve complures, ex Reformatis prolixissimus in eo est RIVETUS, ut taceam SANCTIUM & CORNEL. à LAPIDE, aliosqve ex Pontificiis.

S. V. Porro adumbrat Prophetæ miseram illorum sortem in diebus illis futuram, enarrando mala illa qvæ eventura erant ipsis tam in politico, qvam ecclesiastico statu. Quemadmodum enim mulier longo tempore sedere cogebatur priuata viri consuetudine, nec impune scortari, neqve legitimè nubere



nubere poterat, illius quoque destituta amore, qui eam sibi acquisiverat, captiva quasi & vidua; Sic Israëlitæ quoque mansuri erant sine Rege, Principe, Sacrificio, destituti omni & Reipublicæ & Ecclesiæ visibilis forma. Duo priora, Rex & Princeps, ad eversionem status civilis, posteriora quatuor autem ad privationem religionis & cultus pertinent, tam veri, quem per sacrificium & Ephod, quam falsi, quem per statuam & Theraphim notantur. Mala igitur grandia præminabatur DEUS, privationem scilicet rerum tam bonarum, quam malarum, ipsis alias gratissimarum, cessationem scilicet cultus jussi seu veri, & prohibiti falsi. Sunt quidem, quos inter & CALOVIUS in *Bibliis illustratis b. l.* qui cessationem cultus tantum divini indicari ajuntur. Existimant enim, pœnæ loco haec dictari ipsis, quo nomine tamen statuarum & imaginum privatio venire non possit, neque falsi cultus rationem à DEO haberi ullam, neque populum unquam facile fuisse omnium cultu destitutum. Verum recte si ponimus calculum, miserrimum populi Israëlitici statum Propheta erat depicturus, adeò, ut ne quidem falsus Propheta, & qui sacra idoli colerent, remansuri essent, ad quam calamitatem nunquam ante erant redacti. Pœnæ loco satis gravis ipsis esse poterat, cum subtraherentur illa, quæ tantopere deamaverant, non quod bona & licita essent, sed quod talia viderentur. Hanc enim sese populo idololatrico irrogaturum pœnam, ut superstitionis instrumenta ipsis removeat, plus vice simplici testatur pagina sacra. Hunc in sensum comminabatur DEUS vitulum Bethelis per Salmanassarem auferre, *Hos. x. 5. 6.* & vaticinantur Prophetæ idola gentilium prædæ & direptioni fore hostibus suis, *Jer. XLVIII. 7. XLIX. 3. Amos 1. 15.* Hunc quoque sensum sibi vindicat ἀωδοσις, τῇ προλαστῃ quoad singula membra respondens. Ut Sponsa Prophetæ jubebatur desidere non solum absque marito,



marito, cui honestè nuberet, verum sine amatore & scortatore, cum quo turpiter viveret, *vers. 3.* Sic Israélitæ quoque relinquenti erant sine ulla Reipublicæ & cultus divini publici forma, seu rectâ, quâ DEUM colerent, seu pravâ, quâ impiè cum idolis scortarentur. Et licet cultus idololatricus ipsi curæ non sit, non tamen alienum ab ipso est, dare quandoque populum suum in reprobum sensum, ad faciendum ea, quæ bona non sunt, quâ pœnâ eos solet afficere, quos diu à cultu idolorum revocare non potuit, *Hos. IV. 17. Ps. LXXXI. 12. 13. Rom. 1. 28.* Neq; existimandum, hunc populum omni omnino cultu fuisse privandum, sed propria tantum, & illo, cui sub Regibus suis idololatris erat assuetus, scil. vitulorum aureorum Serapidis, Baalis, aliorumq; Deastrorum, qui hactenus ab ipsis tam magni æstimatorum. Hinc R. Dav. Kimchi *ad b. l.*

אָוֹן זָכָה לְחוֹדֶה וְאָוֹן מִצְבָּה לְעֵזֶר וְאָוֹן אַפְּדָלְהוֹת וְתוֹרָפִים לְשָׁעָה

i. e. Qvod dicitur apud Prophetam: *absque Sacrificio, illud respicit verum DEUM: absque statua, cultum alienum: absque Ephed, iterum verum DEUM, absque Theraphim denuo cultum alienum.* Et LIGHTFOOTUS *T. III. Opp. Expos. IV. Hos.* Absq; Rege Hierosolymæ, absq; Principe Samaria, absq; Sacrificio Hierosolymæ, absq; Statua Samaria, absq; Ephod Hierosolymæ, & absq; Teraphim Samaria, quo brevibus à Servatore respici, *Job. IV. 21. censet.*

אָוֹן מֶלֶךְ וְאָוֹן שָׁרֵךְ Vulg. sine Rege, sine Principe. *LXX. ἀνὴρ βασιλεὺς γοῦνται οὐχ οὐδὲ non existente Rege neque Principe.* Asyndeton datur in hac enunciatione conjunctum cum Ellipsi verbi Substantivi in Futuro supplendi. Particula *וְ* cum de personis adhibetur comodè redditur *nullus, nemo.* GEIERUS *ad Ps. XXIV.* Solet autem tum præcipue adhiberi cum filium orationis trahitur, sin rumpitur, *וְ* usurpatur. GLASSIUS *Phil. S. L. III. Tract. V. c. 18. ubi* *de constructione adverbiorum negandi* *&* DANZIUS



in Interpretate §. 136. מלך generale nomen est, & Regem notat, absoluta gaudentem potestate, nec superiorem agnoscentem, à quo dependet 1. Sam. VIII. 18. XII. 2. XVII. 6. 2. Sam. II. 11. I. Reg. III. 1. Qvandoqve qvoscunqve magistratus superiores, Principes, Duces, Dynastas denotat, Gen. XXXVI. 31. Deut. XXXII. 4. Pj. CX. 5. CXIX. 46. Hoc loco שֶׁר oppositum, sumimum in Imperio infert, qvo privandi erant Israëlitæ, non quidem omni omnino, sed ex sua gente. Miris enim modis superbiebant X. Tribus ob felicem Regis successum, existimantes se nunquam everti posse. Jam qvod Reges non peregrinos & ascititios, sed è sangvine Israëlitico prognatos haberent, illud haud minimam felicitatis suæ partem habebant. Hoc autem fore ipsos privandos minatut Propheta. Targum Jonath. reddidit: לִתְ מֶלֶךְ מִדְבָּר דָוִיד Non est Rex de domo David. Extraneis enim & alienigenis subjiciendi erant, nec proprium habituri Regem. Non autem Rex tantum, sed & Princeps ipfis defuturus prædicitur. שֶׁר eum notat, qui in eminentia positus est, & singulari pollens auctoritate, potestatem in alios sibi subjectos habet. Tales erant Principes civitatum, 2. Chron. XXIX. 20. Provinciarum, 1. Reg. XX. 14. Principes Tribuum, 1. Chron. XXVII. 22. Principes exercitus, familiarum, aliorumqve officialium. Hoc ipso autem non tantum status Monarchici destructio per Assyrios, sed & omnis omnino simpliciter Politiæ abolitio insinuatur, qvod nullos nec Reges, nec Principes, nec Magistratus, aut ullam Republicæ formam sint habituri reliquam. Accidit hoc Israëlitis in captivitate Assyriaca, & reliquis temporibus, nostris autem omnibus & singulis, ut non tantum Rege suo careant, sed nec ullum è suis jurisdictione præditum habeant, neque suis, sed exterorum legibus uti cogantur, de qvo pluribus infra.

§. VII. Neque



§. VII. Neqve mitiora expectanda erant fata Ecclesiæ Israëliticæ, cum neqve Sacrificium neqve Ephod, neqve Statuam neqve Theraphim esset habitura, adeoq; omni omnino cultus divini tam veri, qvam falsi solito exercitio erant privandi. Primo loco sacrificium ponitur. זבח Sacrificium notat, qvod mactari potest, à Rad. זבח mactavir. Sacrificia enim cum non unius essent generis, nomen hoc ea tantum infert, qvæ mactando immolando peragebant, & cruenta dici possunt. Nomen hoc plurimis in locis positum est pro Sacrificio, ita ut observante Elia Germano in animadversionibus ad R. Dav. Kimchi Lexicon, plerumq; non nisi de mactatione hostiarum DEO vero vel idolis oblitorum usurpetur, duobus duntaxat locis in Lege exceptis, Gen. XXXI. 54. Num. XXII. 40. Appositè autem hæc vox delecta fuit ad sacrificia DEO oblata denotanda, qvippe qvæ ejus qvasi cibus sunt, altari ut mensæ appositus, & afferuntur ad illum, ignis beneficio sublata in altum. Hinc altare passim mensa Domini, & victimæ cibus Domini appellantur, Mal. I. 7. 12. Lev. XXXI. 6. His carere debebant sacrificiis Israëlitæ, qvo ipso tamen synecdochica locutione verus veri DEI Israëlis cultus, cuius præcipua pars erant sacrificia, auferendus prædictitur, GLASSIUS Phil. S. L. V. Tract. I. c. 16. Illis enim in terræ partibus, in qvas erant relegandi, nullum ritè offerre poterant sacrificium, qvippe qvod Hierosolymis tantum fieri poterat. Hinc Raschi: וְאַיִן זָבֵחַ בְּמִקְדָּשׁ כִּי חֹרֶב Et Jonath. וְלֹא יָבֵחַ רָבֵחַ לְרַעֲיוֹן nec erit, qvi sacrificet in beneplacitum Hierosolymæ.

§. VIII. מִזְבֵּחַ וְאַיִן מִזְבֵּחַ וְאַיִן מִזְבֵּחַ sine statua. LXX. minus commodè transtulerunt εἰδεὶ δὲ οὐκ Θυσιασηγίς neq; existente altari, qvos Vulg. Syr. Ar. & ipse qvoq; Lutherus secuti, cum aliud sit מִזְבֵּחַ aliud מִזְבֵּחַ. Superat enim altitudine statua altare, &

rectius hujus respectu ita dicitur quam illud. Ne dicam alium fuisse usum altarium, alium Statuarum. Nec juvat CORNEL. à LAPIDE, altare h. l. directè & correlativè respondere sacrificio. Hoc enim Synecdochicè absentiam cultus veri, illud autem idololatrici infert. Hinc **וְאַז מִצְבָּה הַכּוֹל בְּשִׁמְרוֹן** Et non est statua Baali Samariæ Regum Israël. Jonath. non est excelsum Samariæ, RIV. ad h. l. Est autem **וְאַז מִצְבָּה** à ipsa Scriptura teste Gen. XXXV. 14. & 20. 2. Sam. XVIII. 18. ubi nomen hoc verbo suo coniunctum est. Kimchi exponit hanc vocem per lapidem, qui ad adorandum erigitur, vel etiam in titulum sepulchri: sed latius patet ambitus vocis, notans id, quod erectum est seu memoriæ, seu cultus, seu alterius causa fuerit factum, seu fuerit columna, seu simulacrum, seu cippus aut aliud ejusmodi. Vid. CLERIC⁹ ad Gen. XXVII. 18. LXX. vertunt communiter per **στήλην**, Vulg. quandoque **statuam**, saepius **titulum**. Chald. **מִצְבָּה**. Propriè statuam notat, quæ ratione locorum & subjectorum vel in bonam, vel in malam sumi potest partem. Habebant enim & DEI cultores suas statuas eretas vel in signum loci memoratu digni, & gratam rei gestæ memoriam, id quod moris vetustissimi erat à ratione non abludentis, ut si cui hoc vel illo in loco singulare aliquod divinæ providentiae beneficium obtigisset, cippum seu titulum, seu aram ibi poneret, & Numini consecraret, subinde etiam addita inscriptione, vel simpliciter nomen DEI exhibebat, vel etiam latius beneficii memoriam explicabat. Hujusmodi monumenta qualiacunque dicebantur. Hunc in sensum Jacobus Patriarcha lapidem, super quo Bethele recubuerat, DEUMq; expertus fuerat præsentem ungit, eumque posuit in monumen- tum sacrum, Gen. XXVIII. 17. quem cultum DEO fuisse gratum testatur, Gen. XXVI. 13. Offendiculo fuisse hunc lapidem, & ori- ginem



ginem dedisse vicinis gentibus ex prava qvadā *κακοζηλίᾳ* non modo hunc, sed & alios lapides sacro ritu inungendi & consecrandi, qvos Betylos vocarunt, eosqve animatos crediderunt, dedit WITSIUS in *Ægypt. Lib. II. Cap. XII.* & qvi ab eo adducuntur VOSSIUS de *idololatria Lib. VI. Cap XXXIX.* BOCHARTUS CANAAN *Lib. II. Cap. II.* Hunc in usum idololatricum scil. & superstitionis cum etiam s̄epe converterentur à populo DEI, hinc vetuit Deus suos religiosum istiusmodi signum ponere, *Levit. XXVI. 1. Deut. XVI. 22.* & refert inter ea, qvæ & Israëlitis imputantur in defectionem, *i. Reg. XIV. 23.* & gentium cippos plane jussit evertendos, *Exod. XXIII. 24. XXXIV. 13. Deut. XII. 3.* Hunc in sensum hoc potissimum loco sumitur, qvatenus ad cultum prohibitum pertinuit *מִצְבָּה*, & instrumentum fuit vel idololatriæ, vel etiam superstitionis & sensus est: Ipsos neqve DEO, neqve idolis sacrificaturos. Indicare videtur hoc intra versum accentus distinctivus maximus Atnachus, anomalicè positus, singulare qvid subinferens. Hac voce qvasi respicit vitulos istos aureos Dane & Bethele à Jeroboamo I. positos, *i. Reg. XII. 28.* qvorū statuæ, juxta & aliæ magno in pretio erant X. Tribubus. Etiam his, inquit, carebunt, nec permittentur à gentibus suis servire idolis. GROTIO videntur indigitari columellæ istæ ante legem ceremonialem licitæ, *Gen. XXVIII. 18. & XXXI. 13. 45. XXXV. 14. 20.* postea verò, qvod freqventes essent in usu idololatrico prohibitæ in lege sub nomine generali religiosi signi, *Exod. XXIII. 24. Levit. XXVI. 1. Deut. XII. 3. XVI. 22.*

§. IX. אַפְרֵד sine Ephodo. Nomen est Radicis אַפְרֵד bis occurrit in literis, *Exod. XXIX. 5. Lev. VIII. 7.* qvod BUXTORFIO est, amicivit, accinxit; Pagnino Superinduit, super texit; Mercero, adaptavit constringendo, qvi etiam vult semper usurpari de tunica corpori adstringenda. Nomen igitur vi vocis



vi vocis *amiculum*, humerale significat, qvod LXX. reddunt
στρωμα Vulg. *Superhumerale*, alii *amiculum*, qvibus tamen voci-
bus forma ejus non satis exprimi videtur. CLERICUS ad *Exod.*
XXV. 8. pallium vertit, qvia pallii ritu non modo fuit super inje-
ctum, sed & pallii Punici ac orientalis instar quadrangulum
fuit, qvod Etymon non plane abhorret a forma hujus vesti-
menti, qvippe breve erat ad dimidium lumborum tantum
dimissum, ita illud describente KIMCHIO ad *i. Chron. XV. XXVII.*
Hoc nomine jam insignitum fuit ab HIERONYMO, qvi illud non
qvidem pallium, sed palliolum interpretatur. Vid. BRAUNIUS
de *Vest. Sacerd. Hebr. L. II. §. 6.* & conf. STOCKIUS in *C. L. S.* ad hanc
vocem. Optima tamen est sententia BUXTORFI in *Lex. ver-*
tentis cinctum, *amiculum* humerale, eo qvod aptissimè cingeret
corpus, & vicissim ei accingeretur Pectorale, in quo demon-
strando prolixissimus plane & singularis est GUSSETIUS in *Com-*
ment. L. S. Erat autem hoc Ephod ornamentorum sacerdo-
talium, qvibus sacer apud Judæos conspicuus erat cultus præ-
cipuum vestimentum Pontificis summo proprium, præter ea,
qvæ cum Sacerdote communia habebat, de quo confiendo
præceptum habetur, *Exod. XXVIII. 6. 7.* vestimenti genus fuisset
talare JARCHIUS vult *Exodi ult. verbis*: **רְחֵבָה כַּרְחֵב גָּבוֹ שֶׁל אַרְם** : **וַיְוָתֵר וְמִגְעֵעַ עַד עֲקָבוֹת** *Latitudo ejus est*, ut latitudo tergoris viri,
& extenditur, & pertingit ad talos. Sed rectius illud describit
R. DAV. KIMCHI ad *i. Chron. XV. & XXVII.* **אַהֲרֹן אָפָד שְׁנֵי בְּדָרִים אַחֲרֵי לְפָנִים וְאַחֲרֵי לְאַחֲרֵי וְמִגְעֵעַ עַד**
אַהֲרֹן שְׁחוּת כְּפִין שְׁנֵי בְּדָרִים אַחֲרֵי לְפָנִים וְאַחֲרֵי לְאַחֲרֵי וְמִגְעֵעַ עַד Erat ut Ephod Aharonis
מִתְנִיו וְהִיה הָאוֹז אַרְזֵז מִמְנוֹ וְחַגְרוֹ כֹּו :
quasi duo panni, quorum alter anterior, alter posterior erat, usque ad
lumbos demissi, & cingulum, quo cingebatur, ex ipso contextum erat.
Talaris enim si fuisset, mira illa vestis exterioris pulchritudo
vix conspici & sonus tintinnabulorum vix exaudiri potuisset.
Prolixius de materia atqve forma hujus FLAVIUS JOSEPHUS

A. J.



A. J. Lib. III. CVIII. BUXT. in hist. Urim & Thummim Cap. I. vestimenti egere. LUNDIUS in Jüd. Heiligt. L. III. C. V. BRAUNIUS de vestitu Sacerd. Hebr. Lib. II. Cap. VI. LEUSD. in Phil. Hebr. Diss. XXVII. GODWIN in Mose & Aar. Lib. I. Cap. V. Erat autem Ephod duplicitis generis, aliud singulare, quo induebatur Pontifex M. in obeundis officiis sui partibus, & in casibus dubiis DEUM consulterus, 1. Sam. XIII. 13. 18. XXIII. 9. superius descriptum; aliud vulgare qvorumvis Sacerdotum, qvod erat ex lino contextum, & cum addito dicebatur אֲפָד כְּר 1. Sam. XIV. 3. XXII. 18. Imo civilibus & plebejis quoque videtur fuisse commune, cum David coram arca saltans illud quoque gestasse legatur, 2. Sam. VI. 14. Hujus autem vestimenti genuinus usus erat in Juda tantum, ubi Sacerdotium, & verus DEI cultus ipso tempore tantum vigebant. Non tamen anxiè dubitandum, qvin etiam ad cultus & ceremoniarum dissimilitudinem evitandam Ephod, aliaque indumenta Sacerdotalia pariter & ornamenta Jeroboamus Bethele confienda curaverit, eaqve tanquam ad mandatum Mosi factum, confecta, magno in pretio habuerit, LUTHERUS ad b. I. Ephod igitur legitimum & illegitimum fuit. Illud in Juda, hoc in Israèle ad illius exemplar à Jeroboamo institutum, 1. Reg. XII. 28. ne qvid in ornatū sacerdotali X. Tribus Israëlis Judæ remitterent. Hujus gloriæ præstantia sese efferebant Israëlitæ, qvam tamen ipsis non fore perpetuam, hoc loco prædictitur. Insinuatur autem hoc ipso etiam simul Sacerdotium Israëli auferendum, quo collimare videntur LXX., qui ἱερατείας voce utuntur. Alii autem à CORNELIO à LAPIDE adducti verbis, sine sacrificio & sine altari, sacerdotium auferendum fatis expressum existimantes, pressius per Ephod oracula & Prophetiam, ob Urim & Thummim in Ephod posita, intelligunt atque sic Prophetas & Pontifices ab Israèle auferendos volunt. Ephod enim erat Symbolum tam

D

pote-



poteſtatis judicialis in Sacerdote, qvam Prophetiæ, ob pecto-
rale judicij cum Urim & Thummim, qvibus conſulebatur
DEUS. Huc respexiffe videtur Raschi verbis: אֵין אָפָר שֶׁל אֲוֹרִים וְתַמִּים הַמְגֹדֵל לְהֵם נַעֲלָמָה: Non erit ipsis Ephod Urim
& Thummim, qvod occulta ipsis revelet.

§. X. Deniqve ipſos etiam privandos dicit ſuis Teraphim.
אָפָר וְתַרְפִּי fine Ephod & Theraphim. Hæc vox caret
Singulari & in Plurali tantum legitur, licet de uno qvandoqve
usurpetur individuo in libris Iudicum & Samuelis. De ori-
gine hujus vocis multi multa, qvæ tamen partim incertis
nituntur hypothesibus, partim Analogiæ Grammaticæ adver-
ſantur, partim longius petita ſunt. Nos cæculum noſtrum
eorum adjicimus ſententiæ, qvi Syriacæ originis volunt eſſe
voce hanc à Rad. תְּרָתָה percontatus eſt, indicavit. Hinc
Jonathan h. l. reddit indicantes. LXX. δίλας qvod juxta
Suidam notat ὄρασεις, ἐνύπνια praefensiones, visiones, & Zach. X. 2.
αἴσθησις μεμένης. Hujus qvoqve generis idola ex Syria &
Chaldæa originem trahere haud obſcurum eſt in exemplis
Labanis Syri, Gen. XXXI. 19. & Ezech. XXI. 21. Zach. X. 2. qvam
in rem conferantur R. Moses Maimonid. More Nebbochim Lib.
III. c. 29. SELDENUS de Diis Syris Synt. I. c. n. LUD. de DIEU ad
Gen. XXXI. 19. WITSIUS in Agypt. Lib. II. Cap. III. VITRINGA in
Ez. Cap. II. 8. Qva fuerint Theraphim forma pariter crucem
figit Philologis. Monstroſa non minus qvam fabulosa nimis
eorum fabrica, tradita à R. ELIESERE in capitulis XXXVI. &
ELIA LEVITA in התשבי Paulo aliter à BUXTORFIO in Lex. Rabb. re-
petita, qva Theraphim facta fuſſe dicuntur ex capite mactati
hominis in duas partes diſecto, oleoqve & ſale condito, addita
lamina aurea, cui nomen ſpiritus immundi fuerit inſcriptum.
Nec majoris ſunt pretii, qvæ de fabrica eorum per Astrono-
miam Judæorum magistri ſomniant, imprimis Raschius ad
caput



תרפים הם צלמים הנעשים בכוון שעה אחת : *caput nostrum* העשויה לכך ומרכזים מאיוליהם ומגזריהם נעלמות וכן תי' ולוות אפור ומחזי *Theraphim sunt imagines factae ex intentione certae horae huic rei congrua & sic loquuntur ex semetipsis, & annunciant occulta.* *Hinc Jonathan explicat : Et non est Ephod, & qui responsum det.* *Aben-Esra ad Gen. XXXI.* *vult fuisse instrumentum æneum factum ut cognoscerentur partes horarum.* Sed si hoc, quam stolidum fuisse consilium Michalæ, i. Sam. XIX. 13. 16.? Rectiora sentiunt, qui volunt Theraphim ad formam accessisse humanam, id quod colligi potest ex historia Michalæ, ad quam collatis verbis Abendanæ, vid. Michlal Jophi : *הַמְלָמִים עֲשׂוּם עַל צְרוֹת בֵּן אֶרְם וּוֹרָא בְּחַס הַעֲתוּיוֹד* *Ista sunt imagines factae in formam hominis, & vident in eis futura.* Fuisse autem Theraphim ejusdem usus atque figuræ cum urim, & imaginculam pectorali inditam profana nimis est opinio SPENCERI in *Dissert. de Urim & Thummim*, cum idololatrica simulacra DEO exosa, pars Pontificalis apparatus juxta mandatum DEI confecti esse non possint. Operosius eundem confutatum dedit CARPZOVIUS in *notis ad Jus Regium Hebr. SCHICKARDI Cap. I. Theor. II. Ant. V. v. DALE in Dissert. de Origine & Progr. Idol. Cap. II. BRAUNIUS de vestitu Sacerd. Hebr. Lib. II. Cap. 20.* Neq; juvat præsidium, quod ex nostro textu quærerit, in quo Ephod & Theraphim conjunctim ponuntur, cum planum & perspicuum putemus ex contextu, prædici h. l. idololatris, quod & mandato veri cultus divini exercitio, & prohibito idolorum, ipsis tam grato sint privandi Israëlitæ, nec meretricis, nec maritæ futuri. Neque שְׁרָפִים quod nomen est angelorum, *Ez. VI. 2. 6.* eandem paginam facit cum תְּרָפִים cum hæc ex usu Scripturæ semper in malam partem accipientur pro statua sacra, seu magna, seu parva; & qui videri poterat dubius locus, i. Sam. XIX. 13. à PFEIFFERO vindicatur in *Exercit.*

Dissert. IV. conf. WITSIUS in Egypt. Lib. II. Cap. XII. BRAUNIUS c. l.
Hoc ipso quoque ense eorum confoditur sententia, qui per Theraphim Cherubinos intellectos volunt, aut alias licitas in templo imagines sacras, adeoque in bonam h. l. accipi partem.
CALOVIUS in Bibliis Illustr. REITZIUS in notis ad THOM. GODUVINI Mosen & Aaronem. Habebantur autem haec idola Penates & Lares domestici, à quibus in casibus dubiis responsa peterent, & censebantur à tutelaribus quibusdam Geniis insideri, adeoque fatidica esse. *WITSIUS in Egypt. Lib. I. Cap. VIII. §. 2. existimat: Theraphim fuisse simulacra quædam parva, seculis antiquissimis frequenti in usu, in sacris ædiculis primum deposita, quæ spiritus cuiusdam impuri presentia saepius animata, oracula fundere solebant, Larium instar & Penatum domesticorum.* Suffragantur huic sententiae dicta, *Jud. XVIII. 5. Ezech. XXI. 21. Zach. X. 2* (ubi LXX. αὐτοφθεγγομένως) habent, i. e. breviter & concisè loquentes, id quod apprimè convenit Dæmoniorum oraculis, & ipsa origo vocis Syriaca. *conf. pluribus, PFEIFFERUS, WITSIUS, van DALE, cc. ll.* Nos facile patiemur quemvis abundare sensu suo, modo nobis detur, h. l. in malam accipi partem, & idolorum atque superstitionis cultus privationem indicari. Consentientes habemus in hac sententia præstantissimos quosque Interpretes, & prolixissimus in eo est Ribera. Erant enim Judæi ad Idololatriam, divinationes & auguria Gentilium proni, nec parum fiduciæ in iis collocabantur. Imo ad hoc genus idololatriæ videntur eo procliviores fuisse, cum existimarent illud cum cultu DEI sui stare & conciliari posse. Vid. *VITRINGA in Es. XXX. 22.* His igitur ipsis desideratissimis nunc quoque privandos prædicet Propheta, eoque ipso simul miserrimum populi Israëlitici statum insinuat, in quo non tantum vera religio, sed & falsus idolorum cultus, tanti ab ipsis aestimatus defutura erant. Plura qui legere discupit de Theraphim *adeat SELDENUM de Diis*



Diis Syris Synt. I. C. 2. cum BAYERI notis. BOCHARTI *Hierozoicon*
P. I. L. II. c. 15. DIETERICI *Antiquitates bibl. ad Deut. XII. 3. Es. XIX. 1.*
MICHAELIS notas ad Gaffarelli curiositates inauditæ pag. 197. Not. 41.

§. XI. Patet igitur ex modo dictis gravissima DEI per Prophetam camminatio de perditissimo Israëlitarum statu, qvam non multo post tristissim⁹ comprobavit eventus. Vivis ille adumbratur coloribus, 2. Par. XV. 3. Transibunt multi dies absq; DEO vero, & absq; Sacerdote, absq; doctore & absq; lege; complementum autem horum omnium habetur, 2. Reg. XVII. & XVIII. Non referendum hoc ad captivitatem Babyloniam, sed Assyriacam. In illam abducebantur Judæi, in hanc Israëlitæ. Illorum conditioni minus congruunt & non nisi ex parte, qvæ de miseranda Reipublicæ & Ecclesiæ forma in antecedentibus dicta sunt. Suis enim jam pulsis sedibus Israëlitis X. Tribūm sceptrum ad huc tenebat in Terra Sancta Juda. Imo licet tandem pari fortunæ i&ctu excinderetur & in captivitatem Babyloniam deduceretur, non plane abjecta & in perpetuum abolita fuit ipsius Respublica. Spe alebatur ob Prophetarum vaticinia post LXX. annorum decursum redeundi in patriam, qvæ ipsum non fecellit, & ex parte quoq; cessit in res Israëlitarum. Nedicam, ipsa in captivitate meliori usos fuisse fortunā Judæos Babylone, qvam Israëlitas in locis captivitatis suæ. Illi in tam remota non erant abducti loca, atq; ve hi, suas sibi res habebant, suis vivebant legibus, fruebantur pacis commodis consortio & consilio Prophetarum, neq; omni omnino carebant imperio, sed Regem habebant Iechoniam ab Evilmerodacho exaltatum, suos Duces & Principes, qvōs inter & Zorobabel fuit, qvi in patriam eos reduxit, pristinæ que Reipublicæ formam restituit, licet inferiori longe gradu hæc ipsis contingent, ac in terra possessiōnis ipsorum. *vid. LEYD. de R. H. P. II. p. 281.* Nec ex precibus

D 3

Azariæ



Azariæ in captivitate Babylonica v. 38. Non est hoc tempore Princeps, Dux, Propheta neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblationem, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam, collendum quod hæc plane non fuerint ipsis, sed quia diminuta valde & attrita erant. Solutâ autem captivitate post septuaginta annorum spatium, horum omnium majori cum flore sunt compotes facti, urbem templumque restituerunt, jure eam legibusque ac moribus suis de integro condiderunt. Bene sese habuit Respublica Judæorum, ad ea usque tempora, quibus à Græcis Syriæque Regibus fuit vexata, à Maccabæis autem vindicata libertasque cum Religione servata fuit. Stetererent Judæorum, quas publicas appellamus hoc flore ad mortem usque Servatoris nostri, &c., quot excurrebant, annos, ita tamen ut inclinatæ jam ac debilitatæ quotidianie in pejus ruerent. Quæ autem fuit lors X. Tribuum in Assyria? Miserrima: Longo enim intervallo ante eos fuere abductæ, sed & partim à Tiglath Pilassare Assyriorum Rege, postquam primum sub Menachemo Phul invasisset terram, gravi imposito tributo, 2. Reg. XV. 19. qui armis in Pecachum versis, totam Galaitidem Galilæam & Naphtalitudem pervastat, incolasque in Assyriam abducit, 2. Reg. XV. 2. Chron. XXVIII.; Partim à Salmanassare reliqui omnes, qui pervastatâ cæterâ terrâ, post triennalem obsidionem Samariam capit, Hoseam Regem in vincula conjicit, atque eum cum universo reliquo Israële in Assyriam deportat. 2. Reg. XVII. & XXIX. paucis ex viliore plebe in ea relictis. Atque hic finis fuit Reipublicæ X. Tribuum, quæ postmodum in longinquiora dispersa loca miseram servire servitutem in Assyria coacti sunt, neque iis gratiæ divinæ prærogativis fruiti sunt, quibus reliquæ in captivitate gaudabant Babylonica Tribus. Quod pacto autem hæc omnia à Prophetis fuerint prædicta scite ostendit WITSIUS in *dena φύλων*.

Cap. XI.



Cap. XI. Neqve reversi sunt unquam ex hac captivitate universi Israëlitæ, sed maxima pars in sedibus ipfis assignatis permansere, 2. Reg. XVII. 23. 1. Chron. V. 26. licet multi ex iis cum revertentibus Judæis ex captivitate Babylonica redierint, 2. Chron. XXXVI. 22. 23. Esra. I. 1-4. qvi coahuere cum Tribu Juda in unum Reipublicæ corpus, Judæorumque nomine dicti sunt, relictis in Assyria itidem nullibi distinctam Rempublicam habentibus. Pluribus hæc deduxit qvæ hic extremis saltem attingere digitis licuit, WITSIUS in Decaphyllo Ægyptiacis annexo Cap. IV. V. LEYDECKERUS de Republ. Hebr. II. Lib. V. Cap. VI. Qvo remotiora autem ab his tempora, èo duriora plerumqve experti fuere fata Israëlitæ. Successu enim temporis in remotissimas non tantum Orientis sedes delati, sed & hodienum in omnes fere orbis habitabilis angulos dissipati, miseram vitam agunt, nullibi sedem fixam, de suo qvam appellarent nomine, nedum distinctam Rempublicam habentes. Prolixius de misero eorum statu egere, WITSIUS c. l. Cap. IV. seqq. LEYDECKERUS de R. H. T. II. L. II. C. IV. JAC. BASNAGE in hist. Jud. L. VI. C. 2. T. IV. Schudt in Jud. Mercflw. T. I. C. I. seqq. Neqve postoris diebus mitiora fuere fata reliquarum Tribuum postquam à Romanis, Hierosolymâ captâ igne ferroqve eorum Politia funditus deleta est. Confusæ ex hoc sunt tempore omnes Tribus in terris dispersionis suæ, neqve Israëlitæ cum Judæis permixti, peculiare in ampli⁹ populum constituunt, aut Rempublicam, aut politiam ullam habent, qvin potius omnibus contemptui & horrori sunt.. WITSIUS l. c. C. VII. Schudt Jud. Mercflw. P. I. pag. 55. 206. 207. 2. C. IV pag. 253. Risui sese exponit R. Manasse Ben Israël, quando Lib. III. de termino vitæ Sect. IV N. VI. in benedictionis potius, qvam maledictionis parte præsentem Judæorum statum ponit, ob felicitatem, opes, honores, qvibus Judæorum multi in Portugallia, Hispania,



nia, Venetiis, Amstelodami aliisqve in Regionibus & Emporiis præ cæteris eminent, qvæ quantum lenta solent inter viburna cupressi. Privatorum hæc est felicitas, qvæ vix uni alterive contingit, reliqua interim turba in misera abjecta vivendi sorte extorris & inops, omnib⁹ despiciatui, oberrat, vix habens qvo tegat aut alat corpus. Ne dicam felicissimos qvoq; inter ipsos servitutis tamen legibus cum reliquis esse subjectos, destitutos Rege, Principe, templo & reliquis pristinæ libertatis insignibus, multoq; ære securitatis jura redimere cogi. Ipse met R. Manasse l. c. N. 8. Hoseæ verbis subscribit h. m. *Enim verò, id optimè de eo statu dici potest, in quo nunc sunt.* Succenturiantur ipsi ex Judæorum Magistris R. Dav. Kimchi ad h. l. *וְאֵלֶּה הַמִּזְרָחַת שָׁאַנְחָנוּ כִּי הַוָּם וְאֵין לְנוּ לֹא מֶלֶךְ וְלֹא שָׂרֵךְ יִשְׂרָאֵל כִּי בְּרִשׁוֹתָן הַזָּוִים אַנְחָנוּ וּכְרִשׁוֹתָן סְלִכְיוֹם וּשְׁרוֹחָם:* *Hoc tempus est exilii, in quo nunc degimus, nec Regem, nec Principem habemus; sed sub potestate profanorum vivimus, & sub potestate Regum ac Principum ipsorum.* Plures vide adductos à THEOPIL. SPIZELIO in Elevatione Relationis Monteziniana pag. 3. & JOH. JAC. SCHUDTIO in Jud. Merckw. P. I. Prol. §. 20. seq.

§. XII. Ex his igitur planum atq; perspicuum putamus, qvam vana & inania sint, qvæ Verporum Coryphæi una cum aliis etiam ex Christianis fingunt ac pingunt. Traditio est Judæorum perversta, eos trans Euphratem immensum in numerum excrevissè, & incolere terras, & hodienum adh. ultra fluvium Sambathionem integra possidere regna, de qvo multa nugantur. Verum insubidæ huic fabellæ occasionem forte dedere, qvæ auctor Libri IV. Esdra Cap. XXIII. & JOSEPHUS Lib. XI. Cap. V. A. J. de iis tradunt. Verum fluvius hic Sabbathicus utopicus est, & fabulam totius orbis notissima Geographia convincit. Si autem inter incognita loca adhuc referendus, unde sciunt hoc Judæi, & tanta cum animi confiden-
tia



ta de ea loquuntur. Pluribus fabulæ hujus examen inierunt
 ELIAS in THISBI ad voc. יְהוָה וְיַעֲשֵׂה aliique, BUXTORFIUS,
 CUNÆUS, FULLERUS, adducti à SPIZELIO in *Elevatione Relationis Montezinianæ* pag. 6. & 122. ubi nugas has prostravit: qvib⁹
 addantur GALATINUS Lib. II. c. 9. SPANHEMIUS in *Dub. Evangel. P. III. Dub. n. 4.* EISENMENGERUS in *entdeckten Judenthum P. II. c. 10.* WAGENSEIL in *Pera librorum juvenilium T. III. P. I. pag. 552.*
 Alii eò dilabuntur, ut Israélitas montibus Caucasæis primum
 inclusos tandem in Tartaros & Turcas degenerasse contem-
 dant, qvod commentum variis hinc inde conquisitis coloribus
 fingunt & pingunt, STEPH. MORINUS in *Dissert. de cognitione Lacedemoniorum & Hebraeorum & Postellus in Histor. Orient. P. I. Cap. V. VI.* Verum meritis hæc superstruitur conjecturis opinio,
 & gravius errarunt Viri Christiani Judæis, qui ex historia
 N. T. & fide CHRISTI, meliora poterant esse edocti, pro
 merito hinc castigati à FÜLLERO in *Miscell. Lib. I. Cap. IX. & P. D. HUETIO in Demonstrat. Evangelica Propos. IX. Cap. IV. §. 14.* Alii
 volunt eos evasisse ad Sinenses, qvos adductos vide à JOH. ALB.
 FABRICIO in *Bibliogr. Antiqv. c. I. §. 10. pag. 19.* Alii ad America-
 nos sese recipiunt, qvos inter hodienum adh. reperiri reliquias
 X. Tribuum operose tradunt, id qvod in specie ab ANTONIO
 MONTEZINOS, alias Aaron Levi dicto, Judæo Portugallico est
 factum, à qvo sibi imponi pass⁹ est Manasses Ben Israël, adeò ut
 defendendam eam susciperet in libello suo יְהוָה וְיַעֲשֵׂה inscripto,
 cuj⁹ qvoq̄ sententiæ nonnullos è Christianis adducit FABRICI⁹
 in *Bibl. ant. c. I.* Sed depexum eum dedit pro merito SPIZELI⁹ in
 peculiari Tractatu, *Elevatio Relationis MONTEZINIANÆ de repertis in America Tribub⁹ Israéliticis.* Tandem OLAUS RUDBECKIUS cele-
 berrimi Atlanticæ Scriptoris fili⁹ in *Lapponia sua illustrata* Israélitarum reliquias, neq̄ in Asia, neq̄ in Africa, nedum in Ame-
 rica, sed in Septentrionali Europæ regione Lapponia scil. qvæ-
 rendas

E



rendas esse existimat, idque imprimis ex congruentia quadam
 morum & rituum probatum dare satagit. Verum ex qual-
 cunque rituum institutorumque conformitate ad originem
 gentis alicujus frustra concludi, compluribus notarunt WIT-
 SIUS in *Dissert. II. de Evangelio in America non prædicato* & JAC. BAS-
 NAGE in *Hist. Jud. Lib. VI. c. 3. T. IV.* adducti à FABRICIO c. l. Alii
 contra ad alterum extremum abeunt, contendentes eas peni-
 tus intercidisse, & à gentibus, cum quibus coaluere, esse absor-
 ptas instar rivulorum in vasto mari. Nonnulli volunt Judæ-
 orum Magistri ex יִבְטֹה mulieres Israëlitarum X. Tri-
 buum tanta laborasse sterilitate, ut brevi totus fuerit extin-
 etus populus. HACKSPANIUS p. 2. *Not. Philol. ad b. c. l.* pag. 933.
 GVIL. VORSTIUS in *observat. ad Chronol. R. Dav. Ganz* pag. 242. scri-
 bit: *Hodie genuinas aliquas reliquias istorum Tribuum reperi in orbe*
vani simus est somnium, SPIZELIUS in *Elevatione Relationis Monte-*
Zinianæ pag. 126. vult, illas ab *Affyriorum* Rege abductas partim in
Affyria, partim in *Media* permanisse, inque locis illis continuatis scele-
 ribus, periisse, juxta gravissimam illam comminationem, *Lev. XXVI. 38.*
Ez. VII. 8. Restat ut quid nos sentiamus de superstitionibus adhuc
 hodienum X. Tribuum reliquis brevibus adjiciamus. Pecu-
 liarem ipsas adhuc hodienum constituere Politiam, nullius
 imperio, nullius legibus obnoxiam, cuius cœli & climatis illa
 etiam esset, pernegamus, inter alia moti textus nostri verbis:
 Sedeunt filii Israël multis diebus sine Rege, Principe, Sacri-
 ficio, &c. Hi quoque sint perduraturi docet, vers. 5. in quo
 conversio ipsorum spiritualis promittitur
 quibus verbis totum illud N. T. tempus ad finem usque seculi
 insinuatur, id quod pluribus inferius demonstrabitur. Quam
 diuturni igitur hi futuri sunt dies, tam diu permanebunt filii
 Israël sine Rege, Principe, &c. adeoque sine distincta & Rei-
 publicæ & Ecclesiæ visibilis formâ. Ipsa quoque idem com-
 probat

200.1



probat experientia optima rerum omnium Magistra , cum qvicqvid hodienum de residuis adhuc X. Tribubus peculia-rem Reipublicæ formam habentibus nullibi reperiatur , & potius inter ineptientiū agyrtarum deliria , & tale qvid qvod in infantia inter somni difficultates à nutricula te audisse dicti-tas, cum WITSIO sit referendum. Neqve tamen etiam, cur eas à Gentibus penitus absorptas, ita ut nulli omnino hodienum supersint ex X. Tribubus, qvin potius omnes & singuli eva-nuerint, dicamus; non satis causæ videmus. Ipsa reclamat experientia , qvæ innumerum adhuc Judæorum numerum tum in locis pristinæ captivitatis, tum in longè latèq; Asiæ & Africæ dissitis regionibus superesse, testatur.. **BASNAGE**
Hist. Jud. Lib. VI. c. 33. **Eisenmenger** iiii entdeckten Judenthum
P. II. Cap. X. **Schudt** in *Jud. Merckw. Lib. I. Cap. II. III. seq.*
 Adhæc multi qvidem ex X. Tribubus cum Juda permixti sunt partim ex iis, qvi tempore Assyriacæ captivitatis relicti fuerant in terra possessionis ipsorum, partim ex iis, qvi in Assy-ria fuere, & cum reducibus ex Babylonie reversi, aut post-modum sese iis associarunt sub communi Judæorum nomine; Sed post ferale illud & totale Judæorum excidium , à Romanis ipsis illatum, Hebræorumq; Republicā penitus deletâ, horum posteri, alii una cum Judæis ad suos in Assyria vicinisq; locis commorantibus redeuntes, cum iis confusi mixtiq; sunt, in gentibus sine discrimine Tribuum sub Judæorum nomine palantur, alii contra hinc inde in exilium pulsi in Europa dispersi disjectiq; sunt.. Haud eqvidem præfraetè negandum, multos ex iis cum tempore Gentilium induisse mores, atqve cum iis coaluisse, sed de toto corpore hoc affirmare velle abso-num est, imprimis cum videamus vagabundos in Europa Judæos separatam ab omnibus vitam agere, nec misceri mori-bus cum ulla natione, qvidni de Orientalibus idem judicium



ferendum, cum gens Judaica superstitionis suæ sit tenacissima? Neque demonstrari ex ulla fide digna historia potest, inquit WITSI⁹ in dena Φιλω Cap. VIII. §. IV. decem Tribus distinctum à reliquis Judæis populum nunc esse, nedum Rempublicam aut Politiam habere. Quanquam negare nolim, reliquias fortasse earum aliquas hic & illuc reperiri, non magna tamen illæ existimationis, sed inopes afflictasq; esse, & quas non facile à ceteris Judæis discreveris. Plura qvi de his desiderat, is conferat WITSIUM, BASNAGIUM, EISENMENGERUM, SCHUDTIUM, cc. II.

§. XIII. Dura satis atque aspera fuere hactenus enumerata. Mitiora igitur commate seqventi pro more Prophetis consueto proponuntur de conversione & salute Israélitarum sub regno CHRISTI. Hanc enim promissionem comminationi subnectit ad erigendos piorum animos in spem certissimæ conversionis & salutis, quam tantis, tamque diuturnis afflicti malis facile abjecere potuissent; tum etiam ut promissis superius factis, numerum scil. filiorum Israëlis fore instar arenæ maris, staret, id quod suo tempore esset futurum. Contineri autem hoc in versu partem aliquam rei figuratae in adultera, negat quidem contra Interpretes plurimos. SEE. SCHMIDIUS ad h. l. cum redditus illius ad virum ne verbo quidem fiat mentio; Verum antitypus, licet ipsi typo hac in parte non in totum, tamen in tantum responderet. Propheta enim jusserrat eam aliquod tempus exspectare, quo finito se eam non tantum recepturum, sed & eam flagranti desiderio, quod redintegratio amoris post iram amantium secum ferre solet, reddituram esse, quippe quam alias non recepisset, nisi sic emedatam moribus, tacite simul insinuat. Hæc enim castigata sic à marito suo, cui erat perfida facta, castos erat postea meditatura mores, atque ad eum reditura; atque eandem rationem futuram esse concludit Israélitarum, qui tantis malis edocti,

à semi-

à semitis suis, qvibus cursu tenderent citato ad amasios alienos, essent reversuri ad DEUM, cui erant despontati. LUTHERUS ad b. l. Hic incipit suavis illa concio, qvod Dominus adulteram vero & maritali amore complecti, & eam propter adulterium non abjecere, sed se cum ea in justitia, judicio, beneficentia & miserationibus despondere velit. Conf. URSINUS ad b. l.

§. XV. **אַחֲרֵי יִשְׁכֹּן כִּי וַיָּשָׁאַל** Postea revertentur filii Israël LXX. ἡ μελα τὰῦλα ἐπικέψεται^{iv} Et post hæc revertentur. His verbis fructum castigationis hujus salutarem indicat Propheta, qui erat Israëlitarum ad DEUM conversio. Particula אַחֲרֵי verbis juncta, notat adverbia temporis. Postquam, postea qvæ significatio & hujus loci est. DANTZ. in Interpr. §. n. 9. n. 2. Inter אַחֲרֵי & אַחֲרֵי Judæorum Magistri non nihil discriminis observant, qvod hoc rem vicinam, illud remotam denotet. Sic Raschi ad Ruth II. 3. **כִּי מִקְומֶשׁ אַחֲרֵי סְפָלָג הַזֶּה** ubi cunqve dicitur אַחֲרֵי semper innuitur remotum. Qvod tamen quam solidum sit, dispiciant Lexicographi. Idem quoque hinc ad nostrum textum per אַחֲרֵי intelligit dies captivitatis, quo nomine præsentem quoque ipsorum statum definiunt Judæi. LXX. ἡ μελα τὰῦλα, & post hæc vertunt, respi- cientes castigationem, qvod & Jonathan facit בַּתְּרַכְּן post sic, i.e. postea, quo ipso & indefinitum insinuant tempus, eos scil. tandem aliquando esse reversuros. Notatur autem terminus conversionis à quo & ad quem. Terminum à quo sistunt idolatria, & vita scelesta, cui erant dediti, minimè autem captivitatis locus, in quem erant deducti, quasi liberandi essent à vinculis suis. Spes enim omnis restitutionis Reipu- blicæ Israëliticæ in terra possessionis suæ ipsis erat adempta. Neque de Judæis hoc potest explicari, quippe de qvibus hoc loco, secundum superius dicta non sermo est, quique ex capti- vitate Babylonica reversi, non quæsiverunt David Regem

E 3

suum.



sum. De spirituali igitur reditu Israélitarum sermo est,
 scil. à semitis suis, qvibus currebant post amasios & volu-
 ptatibus indulgebant. Adhæc reversuri dicuntur filii Israël
 ad Dominum, qvæ spiritualis, non in Judæam, qvæ corpo-
 ralis fuit reversio. Præterea שׁוב non ad corpus, sed ad ani-
 mam & vivendi rationem h. l. refertur, ut ex seqventibus
 patebit. שׁוב reverti, propriè quidem notat reditum eò,
 unde prius egressus est factus. *Ruth. I. 7. 1. Reg. XIX. 7. Cob. I. 7.*
 metaphorice autem ad conversionem accommodatur, &
 reditum hominis notat per seriam pœnitentiam ad DEUM,
 à qvo per peccatum erat avulsus, *I. Reg. VIII. 33. 2. Reg.*
XXIII. 25. Jer. III. 12. XIV. 22. IV. 18. Ezech. XXXIII. 12. Ps. LI. 15.
 vel etiam notat conversionem à virtutis tramite ad peccata,
 qvib⁹ denuo indulgere incipit, *Jer. VIII. 6. Ezech. III. 20. XIX. 24.*
 & commode verti potest avertere se. Hoc loco non in proprio,
 sed metaphorico significatu accipitur, & reditum notat à
 peccatorum semitis per pœnitentiam ad DEUM. Reverti enim
 dicuntur peccatores, cum serio dolent de peccatis, eademq;
 detestantur, & fide misericordiam DEI implorant. Tales
 autem futuri erant Israélitæ, qvippe qui variis calamitatibus
 fracti, ad meliorem tandem frugem essent redituri, & series
 de conversione cogitationes suscepturn. Hinc expresso nomine
 dicuntur בְּנֵי יִשְׂרָאֵל de qvibus præcedenti versu dicitur,
 qvod sessuri sint sine Rege, Principe, Sacrificio, &c. Minimè
 igitur de reditu ex captivitate tam Babylonica qvam Assy-
 riaca hæc sunt interpretanda. Non de illa, qvoniam כָּחֲרוּת הַיּוֹם
 in extremitate dierum dicitur futura hæc conversio, qvā
 descriptione temporis non spatium captivitatis Babylonicæ,
 sed totius Novi Testamenti in Scriptura sacra insinuitur.
 Neque phrasim Scripturæ sacræ LXX. annorum mora solet
 exprimi per יוֹמִים רַבִּים sed multò diuturnior temporis tra-
 ctus.



etus. Adhæc tempore captivitatis Babylonicæ Judæi Messiam adhuc agnovere, doctrinamque de officio & persona Messiae fartam tectamque servabant, cum haberent Prophetas in & post captivitatem eam tradentes, qui tamen denegantur his reversuris. Denique dicit eos Messiam quæsituros; ergo illud indicatur tempus, cui promissus Messias jam erat præsens, illique intelligendi, qui huic erant superstites. Neque de reditu ex captivitate Assyriaca h. l. sermo esse potest, cum universus populus X. Tribuum neque in solenni illa expeditione ab Esra suscepta, neque successu temporis totus in Terram S. redierit. Esdras enim memorabilia hujus expeditionis consignatur, Principum tantum & Ducum mentionem facit. Qvis autem crederet, insignis si fuisset Israëlitarum reducum numerus, eos aut caruisse Ducibus, aut has ab Esra non fuisse enumeratos? Adhæc Esdras numerum eorum initur, qui cum ipso in libertatem erant asserti, eos tantum fuisse reductos ex iis commemorat, quos Nebucadnezar abduxerat. Hi non X. Tribus, sed Juda & Benjamin fuerant. Præterea ipsa testatur pagina sacra 2. Reg. VII. 23. XVIII. II. 1. Paral. VI. 26. Israëlitæ X. Tribuū fuisse transportatos in Chalachum, Chaborem Haram & Nehorgazanem usq; ad hunc diem. Auctor autem Chronicorum ex Sententia R. DAV. KIMCHI & R. SALOMONIS aliorumque habetur magnus ille Israëliticæ gentis Doctor Esdras. Hoc stante Israëlitæ nondum migrarunt è terris dispersionis suæ temporibus Esdræ; id quod imprimis quoque patet ex clausula Paralipomenon libris addita, quæ mentionem injicit Edicti de Judæorum dimissione & Hierosolymæ restitutione; ac indicio est post captivitatem demum Babyloniam eos fuisse conscriptos. His quoque suffragatur historia N. T. haud obscuris indiciis, imprimis si consultantur ea, quæ act. 2. v. 9. 10. II. XXVI. 7. & Jac. I. 1. de scripta ad



ad XII. Tribus hinc inde dispersas epistola habentur. Neque omnino parvi faciendum testimonium ipsius Josephi L. XI. A. J. Cap. V. quo testatur suo abhuc tempore Israélitas X Tribuum in numero trans Euphratem habitasse, ex quo colligi ad minimum potest, quid suo tempore præstantissimi quique de X. Tribubus senserint. Neque fides Josepho per omnia deneganda, cum *juxta ITTIGUM in Proleg. editioni operum Josephi quæ anno 1691. prodiit, præmisso, huic unice debeamus quæ ad supplendam Historiam Ecclesiasticam V. T. quoad ultimas ejus periodos faciunt.* Denique ipsorum quocum Judæorum Magistri reversionem in terram possessionis ipsorum ipsis denegant. R. David Kimchi *ad Jer. XXXI. 15.* חֲשַׁבְתִּים לֹא שָׁבָר עַד אֶלְאֵת נָרוּעַ טְקוּם אִם Decem Tribus non redierunt adhuc, & non notus est locus eorum ubi sint. Addit Thalmud ipsorum Tractat. SANHEDRIM Cap. XI. in Gemara: פְּשָׂוֶת הַשְׁבָּתוֹן אֵין עֲתִידָן לְחֹזֶר תְּנֵי רַכְבֵּן / אֵין לְהֹזֶר חַלְבָּן decem Tribus non esse reversuras tradiderunt Rabbenon X. Tribus non habebunt partem in futuro seculo, nec sunt reversurae, sicut dictum est, Deut. XXIX. 28. Plura hanc in rem dabunt WITSIUS c. l. Cap. VII. §. 5. 6. SPIZELIUS c. l. pag. 46. Schudt in *Jud. Merckw.* Cap. X. P. I. Adversæ qui sunt sententiæ, quos inter & MÜLLERUS in *Jud. detect.* Lib. I. Cap. XXII. §. 12. nil aliud obtinent, nisi paucos ex X. Tribubus rediisse cum Juda, & alios iis adhuc in locis hæsisse, in quibus à Salmanaflare initio captivitatis fuerant reliqui, qui tamen postea magnum in numerum excreueré. WITSIUS l. c. Cap. V. & VI. Inter recentiores hujus quoque sententiæ est KORTUMIUS in *Heb. Opfera IV. Beitrag Med. III. pag. 416.* qui vult Israélitas omnes collective consideratos rediisse ex captivitate, si non in solenni illa expeditione tempore Esdræ, successu tamen temporis; cui sese gravissimis dubiis opposuit

Rus-



RUSMEIERUS, Professor nunc hujus Academiæ meritissimus.
 Vid. *Heb. Opffer v. Bentz. Med. iii. X. Med. 4. XXII. Med. 2.* Ea enim, qvæ à KORTUMIO adducuntur loca, non loqvuntur de reditu in Terram S. sub Cyro factam, sed de spirituali ad regnum Messiæ, tempore N. T. futuro, &, qvo alii hodienum abutuntur, sensu mystico; illum hic, literali nimium intentus, plane negligit. Ex nostro ad minimum dicto, ad qvod ille tamen itidem provocat, probari non potest, cum secundum superius dicta & qvæ adh. restant, non de corporali, sed spirituali reditu Israélitarum ad Messiam sermo sit, id qvod firmum fixumq; nobis est. Necq; obstat nobis Israëlem à DEO fuisse reprobatum; Repudium enim illud erat factum tantum ratione externi illius fœderis, qvod cum populo illo in terra Canaam fuerat initum; minimè autem ratione interni illius & spiritualis, qvod salvum manebat. Neq; etiam existimandum, ad omnes, omni posthabito discrimine, pertinere qvæ de conversione Israélitarum h. l. dicuntur in communi; sed ad fideles tantum, qui licet exilio essent subjecti, per fidem tamen nihilominus participes futuri erant hujus promissionis, id qvod annexa semper promissionibus divinis spiritualibus conditio postulat.

§. XVI. Describitur autem spiritualis hie reditus Judæorum per pœnitentiam ad DEUM tum à partibus, tum à tempore, qvo futurus erat. Partes ejus duæ sunt *contritio* & *fides expressæ verbis*; *revertentur ē& qvarent DEUM suum ē& David Regem suum*. Pœnitentiæ fructus nova est obœdientia expressa verbis: *Pavebunt ad Jehovam ē& ad bonum ejus*. Tempus autem futurum est *extremitas dierum*. בָשׂ non modo veram contritionem exprimere jam dictum, sed & שְׁבַע cum transfertur ad pœnitentiam, feriam ad DEUM conversionem notat, qvem per peccata amiseramus, 2. Chron. XV. 4. VII. 14.

F

Jer. L. 4.



Jer. L. 4. Qværere DEUM phrasis est Scripturæ S. usitata pro invocare, & ad eum respicere, 2. Paral. XV. 4. Annotat MERCERUS in Thesauro, hoc verbum *conatum* & *studium* magis exprimere, qvam interrogationem & verba, qvod per ™NW significatur, i. e. *petere*, *rogare*, et si interdum confundantur. Hinc verbum hoc non inquisitionem langvidam qvalis illa *Actor.* XV. 27. sed ardens desiderium DEUM cognoscendi, habendi, eoqve fruendi, cum detestatione omnium eorum qvæ ei repugnant, 1. Chron. XVI. 10. Et. LXV. 1. LXX. verterunt h. l. per ζητεῖν. qvod est suño studio qværere & mirificè cupere, 1. Petr. V. 8. Matth. II. 13. XIII. 25. Ad ipsam qvoqve fiduciam exprimendam adhiberi solet verbum, & redditur Lev. XIX. 31. per προσκολλάθαι à LXX. quem significatum & h. l. servat. Observat SEB. SCHMIDIG ad h. l. Reverti & qværere, qvando conjunguntur tum prius ὀλιμῶς totam pœnitentiam dicere, posterius autem μεριμῶς alteram tantum partem, fidem scil. Quemadmodum ægrotus Medicum qværit, cum morbi doloribus afficitur & torqvetur; Sic qvi animo langvent ob peccatum, & iræ divinæ sensum, ad Medicum animarum nostrarum confugere coguntur, Ps. XLII. 1. Matth. IX. 12. Idem qvoqve eventurum erat Israélitis. Hi diuturno exilio variisque calamitatibus pressi ob malitiæ magnitudinem cum dolore & submissio animo ad DEUM confugituri erant, medelam atq; auxilium ab eo exspectantes. Adhæc veræ salvificæqve fidei proprium est, DEUM pro suo agnoscere, qvod de Israële futurum prædictitur. Incassum autem laborant, qvotqvot ex his verbis elicere student: Homines non renatos in Spiritualibus Libero gaudere arbitrio, cum de filiis Israël hominibus non renatis dicatur, fore ut revertantur, & qværant DEUM suum. Prædictitur enim quid, non qvæ virtute essent acturi pœnitentiam Israélitæ. Revertantur impii non ex suis viribus, sed per gratiam DEI ipsis conces-



concessam. Qva ratione *Dan. XII. 2.* dicitur multi evigilabunt, & *i. Cor. XV. 52.* mortui resurgent, id qvod minimè propriâ ipsorum fit virtute ; ea qvoqve impii revertuntur ad DEUM, non per suam potentiam, sed per Altissimi gratiam. Deus enim est, qvi dat velle & perficere pro bona sua voluntate, *Phil. II. 13.* Solet tamen nostra conversio & DEO & nobis tribui, sed diverso modo. DEO qvoad primam cordis immutationem, ac novarum virium largitionem, nobis autem qvoad continuationem. In *initio* conversionis solus operatur DEUS per Spiritum S., *in progressu* autem incipit homo conversus cooperari non ex viribus nativis, sed dativis, non qvas habet per naturam, sed per gratiam. Conf. *Systemata passim.* Neqve silentio prætereundum h. l. querere DEUM etiam quandoqve idem esse ac DEUM consulere, sententiam ejus expetere, *Exod. XVIII. 15.* qvo ipso insinuaretur, qvod Israëlitæ diuturno exilio fracti, non amplius idolis suis essent adhæfuri, sed vero & legitimo cultu DEUM essent veneraturi, ejusqve voci obtempaturi. Hunc in sensum Jonathan transfert, וַיְתַבְּעֵנִי יְהֹוָה פֶּלְחָנָתִי וְיָרַח וְקָרְבָּנִי *& querent cultum DEI sui.*

§. XVII. Terminus autem conversionis *ad quem* est *Jehova* DEUS ipsorum. וְכָשַׁו אֶרְצָה וְהֹהֶה אֶל־הָרָה LXX. Καὶ τὸν τὴν θεὸν αὐτῶν. Vulg. Dominum DEUM suum. Verus hic Israëlis DEUS indicatur. Non enim vera, sed simulata foret conversio, qvæ relictæ hac vel illa cultus idololatrici specie, alteram amplectetur, cum ad verum DEUM fieri debebat conversio. *Si reverti vis Israël, ad me revertere, inquit Jehovah,* *Jer. IV. 1.* Particula אֶרְצָה non sūsqve deqve habenda, cum juxta præcipuos Judæorum Magistros hæc plerumqve non frustra ponatur, sed ad indicandam ipsius rei substantiam, imo omnia ad absolutam rei integratatem spectantia. SAL. BEN MELECH in מְכֻלָּה יוֹפִי ad Gen. I. 1. Antiqui RR. derivant



eam à Rad. וַיָּהֵן *venit*. Förster interprete significat personam seu rem, qvæ venit i. e. præsens est. Huic quid sit tribuendum conjecturæ, nemini potest esse obscurum, qvī particularum Etymologias non curiosè nimis esse indagandas noverit. Vaniora sunt, qvæ Gaffarellus lepide potius quam ingeniosè nugatur *ad Gen. I. 1.* וְאֵת *esse legendum* וְאֵת signum, qvo scil. literas siderales in cœlo pictas, & literis alphabeticis distinctas inde exsulperet. Diluit has nugas TH. BANGIUS in cœlo orientis *Exercit. II. moment. VII. GREGOR. MICHAELIS in annot. ad Gaffarellum.* Exprimit autem hunc DÉUM nomine, יְהוָה qvod essentiam ejus denotat, qvo ab omnib⁹ idolis, qvæ natura DEUS non sunt, discerneret eum. In radice huic nomini assignanda ad devia dilabuntur, qvi ab וְאֵת, qvod perniciem notat & interitum *Ezech. VII. 26.* illud derivant, planissimā autem ingrediuntur viam, qvi ex Radice וְאֵת vel etiam commodius וְאֵת illud deducunt. Qvamcunque enim elegeris, ab essendo dicetur, eo qvod DÉUS independenter existat, & rebus omnibus essentiam largiatur. Primaria hæc nominis hujus significatio est, non illa, qvæ ab impletione promissionum divinarum sumitur, ut vult CLERICUS *ad Exod. III. 15. VI. 3.* Ipsemet Spiritus S. haud obscure eò collimare videtur, *Apoc. I. 4. 8. XVI. 5.* explicans, illud per εἰών, οὗτος, καὶ οὐκέπειρος, ubi ἐρχόμενος, (annotante CARPOVIO *Diss. VIII. de legitima τελεγραφημάτω וְאֵת lectione*) idem est ac ἐσόμενος, ob consuetam Hebræis loquendi rationem, qvâ simplex וְאֵת non raro permutant cum לְכֹוֹת ut videre est in Schemoth Rabba, citante BUXTORFIO *Dissert. Phil. Theol. pag. 249.* Pari ratione LXX. interpretantur illud אֲהָוָה אשר אֲהָוָה *Exod. III. 14.* Εγώ εἰμι οὗτος, Ego sum, qui sum, quomodo & R. Bechait teste BUXTORFIO *in Lex. Hebr. Chald.* per tria Tempora Præsens, Præteritum, Futurum illud exponit ob tres temporum differentias,



rentias, quas literis suis designat, cumque omnes sint quiescentes mirabili quadam ratione & simplicitatem & aeternitatem DEI adumbrantur. Plura de nomine vid. ap. JOH. BUXTORF. *Dissert. V. de nominibus DEI, ejusdem Lex. Thalm. & MAJUS in Dissert. sacris pag. iii. seq.* & *de variis Cabalistarum explicationibus, Galat. Lib. II. 12.* Est autem hoc nomen DEI nulli omnino creaturæ communicabile, sed soli DEO proprium, quod sibi reservavit tanquam *μνηστυον* aeternum, *Exod. III. 14. VI. 3. Esa. XLII. 8. Ps. LXXXIII. 19.* seu logicè, seu grammaticè illud consideretur. Vid. PFEIFF. *Dub. Vex. Cent. IV. Lib. XXIII.* & *quos ibi complures adduxit.* Patriarchis hoc nomen fuisse ignotum quis crederet, cum proprium & præcipuum veri DEI Israëlis nomen sit, & illi toties quoties illud in ore habuerintur. Imprimis hoc patet iis ex locis, ubi singularis emphasis latebat in verbis veterum, *Gen. IV. 26. Gen. XII. 8.* Plura vid. ap. PFEIFFERUM in *Dub. Vex. Cent. I. Lib. 86.* & *eos qui ab ipso adducuntur, quibus addendi SEBAST. SCHMIDIUS Exercit. I. de præcipuis DEI nominibus §. 15. MAJUS in Dissert. S. Luc. II. pag. 114. seq.* HILLERI *Onomasticon sub nom. יהוה* SCHUDTII *Tract. de SS. DEI nomine יהוה ejus Trifolio Hebr.-Philologico annexus n. 20. seq.* Qui nomen hoc suis consonantibus ac vocalibus non esse legendum volunt, non tantum reluctantibus, consonantibus & vocalibus huic propriis hoc faciunt, sed & ipsius significationi vim inferunt maximam. Nomen enim divinum ipsius essentiam & existentiam denotans, in aliud dominium exprimens, mutare quo jure licebit? Abhorret hoc etiam ab antiquissimo Patriarcharum & Majorum Judæorum sub Mose & Regibus pronuntiandi more usitato, de quo vid. KRONMAYERUS in *Theol. Posit. Pol. Lib. II. Th. 2. in antith. aliqui Systematici.* GUSSETIUS in *Comment. ad hoc nomen,* Schudt l. c. n. 28. 29. MAJUS c. l. pag. 118. seq. LEUSDENIUS in *Philol. Hebr. Dissert. 28. pag. 336. seq.* HADR. RELANDUS in *collectis optimi generis*



Dissert. de hoc argumento & quos adduxit complures FABRITIUS in Bibl. antiqu. pag. 243. Unde originem trahat hæc de ονομασίᾳ hujus nominis consuetudo aperit BUXTORFF. in Lex. Talm. sub voc. דָּוֹת & prolixius M. JOH. HEINRICUS HÄNERUS in *Dissert. de ritu benedictionis Sacerdotalis C. II. §. 401.* scil. cum ante in templo tantum proferretur, tandem missitando extra illud, & successu temporis denique etiam ipso in templo exspirasse. Sed magis placent, quæ de origine hujus ονομασίας aperit CL. DN. D. GEBHARDI in *Expositione Psalmi XIII.* ubi veram rationem permutati hujus nominis Jehova cum Adonai existimat confessionem fidei in verum DEUM, qui Jehova, pro qua moderna Judæorum sex falso supponat metum profanationis. De aliis circa hoc nomen scitu dignis consuli merentur CHRIST. REINECCIUS in *Exercit. de S. S. Nominis Jehova Lips. 1695.* WALTHE-RUS in *Spicilegio de nominibus Jehova & Elohim.* FULLERUS in *Misc. IV. 13. 14.* HACKSPANIUS in *Sylloge Exercit. I. II. pag. 159. seq.* VARENNIUS de Nom. div. HOTTINGERUS de Nom. DEI ap. orientales. GALATINUS Lib. II. de arcanis Cathol. veritatis. REUCHLINUS de verbo gnirifico II. 14. ac Lib. III. de Cab.

§. XVIII. Hoc autem Nomen DEI esse entiale sœpe destitutum alterius Nominis divini adjunctione reperitur, sœpe adjunctum illud habet, ut h. l. אלהים. Est autem hoc primum sacris in literis DEI Nomen, legiturque in ipso statim exordio illius Gen. I. 2. cui demum C. II. 4. jungitur Nomen הוָה. Rationes Cabalisticas vides in Cabbala nudata P. I. pag. 383. quæ eò redeunt, DEUM creasse mundum per metrum judicii, cumque illam judicii metro consistentiam servari non posse cognosceret, mensuram misericordiæ judicii dimensioni ad junxisse juxta illud Gen. II. 4. *In die qua fecerat אלהים נֶהְרָה וְנֵהֶרְה cælum & Terram.* Jehova igitur misericordiam DEI, Elohim autem judicium denotare volunt Cabalistæ. Verum nec origo nec usus



usus harum vocum significationem hanc involvunt. Illa DEUM ab essentia, hæc à cultu denominat, & in Sacris literis nullo habito discrimine cùm in comminationib⁹ tum promissionibus has poni promiscue plus vice simplici illæ testantur. Vid. *prolixius de hoc argumento* Dn. D. GEBHARDI in *Expos. Ps. XIII.* MAJUS c. l. pag. 124. Nomen autem hoc divinum Tetragrammato esse proximum aliquot argumentis planum facit *Abar benel, Comment in Genesim Cap. I. 1.* JOH. BUXTORFIO laudatus in *Dissert. de Nominibus DEI hebraicis.* RR. hinc sœpe אלהם explicant per ipsum יהוה qvos adduxit JOH. BENED. CARPZOVIVS Disp. XV. de mysterio S. S. Trinit. C. IV. De hoc Nomine cum nemo non Theologorum & Philologorum egerit, pauca dicemus. אלהים plurale est ortum à suo Singulari אלה in cuius Radice assignanda non penit⁹ cum nonnullis est desperandum. Toto plane cœlo à scopo aberrant qui ex אלה originem ejus ducunt, qvod præter Lombardum sententiarum Magistrum, etiam nonnullos Ebraicē doctos facere, mirandum, sic in plurali non אלהים sed אלהים foret dicendum, & in puncto Mappik notatum, evaderet servile. Frustraneo omnem movent lapidem conatu, qvotqvt aliam ei assignant derivationem qvam Arabicam, qvæ est *Alaha* qvæ notat *colere, servire, adorare.* Hanc etymologiam pluribus HÖTTINGER⁹ in Hexäem. comprobavit, eiq; non Arabum tantum, sed & æthiopum favere exemplum in *Dissert. de Nominibus DEI* orientalium ostendit, cui & alii celeberrimi assurgunt Philologi, licet à GUSSETIO in *Comment. L. E.* sub hoc voce, *prepostera* vocetur. Vi hujus igitur originis, non qvodvis σέβασμα, ut Clerico placet ad *Gen. I. 1.* sed Numen religioso honore colendum, adorandum, DEUM scil. qui est σέβατμος καὶ σέβαστος, cui soli cultus divinus ex ipsius instituto competit. *Deut. VI. 4. Marc. XII. 29. Matth. IV. 10.* vid. DEYLINGII obs. P. II. obs. 2. Ex prima igitur sua



sua origine cum solum verum DEUM notet, hinc etiam absolu-
tè positum ipsi περτως competit, Deut. IV. 35. Ps. XLVI. II. Es. XLIV. 6. Secundario autem etiam aliis tribuitur extra DEUM,
& quidem idolis μηδινῶς, Exod. XXIII. 24. I. Reg. XI. 33. Ps. VIII. 6.
Hebr. I. 7. conf. DEYLINGIUS in Obs. S. II. 2. pag. 2. MAJUS in Dissert.
S. Loc. II. pag. 135. Est autem hoc nomen plurale non tantum
ratione formæ, sed & significationis, qvod negant Judæi non
tantum & Photiniani, sed & multi ex Christianis, salvo tamen
dogmate Trinitatis, unde HOTTINGERUS in Dissert. de nom. DEI
Orient. pag. 271. vult hanc controversiam partim nominalem, par-
tim realem esse. Habet enim Singularem, ejus rei significa-
tivum, quidni etiam citra enallagen numeri, propriâ signifi-
catione servata, pluralitatem designaret? Qvæ DRUSIUS in
Comment. ad diff. loca Pent. C. I. in contrariū affert, e. g. voces lati-
nas Theba, Athenæ, tenebra, sensu unitatis usurpatas, ea huc non
quadrant. Hæ enim voces in plurali forma unitatem deno-
tant, qvia singulari penitus carent, quem si agnoscerent, nul-
lum foret dubium, qvin Pluralis pluralitatem indicaret. Alia
autem ratio est vocis οὐλῶν: qvæ habet Singularem ejusdem
significationis, ergo etiam in Plurali huic significatum induit.
Accedit οὐλῶν construicūm verbo Participio, vel Adjectivo
plurali, qvæ utiqve sensum pluralitatis habent, GERHARD.
Exeg. Lib. II. §. 52. CALOV. Syst. T. III. pag. 10, 14. 41. JAC. MARTINI
Lib. I. de III. Elohim. DEYLING. Obs. P. II. 2. pag. 12. Plurale igitur
cum sit hoc nomen tām ratione formæ, quam significationis,
hinc etiam pluralitatem infert seu essentiæ, seu personarum,
seu utriusque, id qvodratio Pluralis Numeri exigit. Plura-
litatem autem essentiæ, aut etiam utriusque cum hoc nomen
inferre non possit, hinc manet de pluralitate personarum
significatio. Non tamen definita personarum Trinitas ex
hac voce immediate probari potest, cum Pluralis Numerus inde-



indefinitus sit, ad quemcunq; pluralitatis numerum. Alia igitur Scripturæ S. dicta in subsidium vocanda, qvibus hæc indefinita pluralitas limitatur & numero Trinitatis includitur, qvæ oppido multa sunt in V. æqve ac N. T. Neque prætereundum omnino qvæ habet GUSSETIUS de hac voce *in Comment. L. E.* & ex qvo ille hæc hausit, ALTINGIUS, *Dissert. IV. Hept. VII. T. V. Opp.* אֱלֹהִים ad minimum tria designare supposita, non pauciora, duas enim notare non posse personas, cum alias ex lingvæ genio terminatio dualis locum haberet, sicut in עֲנָנוּם & רְגָלוּם. Pluribus de hac voce præter Systemata passim egere JAC. MARTINI *in Lib. de III. Elohim.* DRUSIUS *de nomine Elohim,* SEB. SCHMIDIUS *in Exercit. Theol. Exercit. I.* JOH. HEINR. MAJUS *in Dissert. S. Lib. II. §. 26. DEYL. in Obs. S. II. 2.* Non autem dicitur h. l. absolutè אֱלֹהִים, sed cum annexo אֱלֹהוּמָן qvo ipso gratiosi foederis cum ipsis in Circumcisione initi eos admonet, & qvod vera fide ei essent adhæsuri. Salvificæ enim fidei proprium est, DEUM omni confidentia animi facere suum. *Habac. II. 4. Rom. XI. 1. Hebr. XI. 1. πληροφορίαν, Rom. IV. 21. Col. II. 2.* describitur.

§. XIX. DEUM autem qui qværunt, ut inveniant eum ad salutem, in CHRISTO JESU eum qværere debent. Nulla enim via ad DEUM nisi per Mediatorem est, *Joh. XIV. 6. Actor. IV. 12. 1. Joh. II. 2. 3.* Qui enim qværere DEUM sese profitentur extra CHRISTUM, quem abominantur, ut Judæi & Turcæ, ii neqve verum DEUM, neqve verum cultum habent. Hinc de Israélitis convertendis dicitur h. l. qvod qvæsituri וְאַתָּה דָיוֹד מֶלֶךְ & David Regem ipsorum, qvibus verbis fides eorum & fiducia in CHRISTUM distinctius insinuatur. Prædictum ipsis erat in præcedenti commate ipsos Regibus & Principibus in exilio carituros, jam autem in conversione ipsorum dicit Reges & Principes qvæsituros, non eos qvos DEUS dejecerat,

G

sed



sed Davidem Regem suum. Per hunc autem Davidem non potest indigitari David filius Isai, qvippe qvi pridem erat defunctus, hic autem dicuntur qvæsturi Regem David in extremitate dierum, adeoq; longè post tempora Hoseæ. Alluditur tamen ad apostasiam & Tribuum à domo Davidis, cujus familiæ nuntium miserant, & dicitur, ipsos posteris diebus sese conversuros ad eum, qvi filius Davidis debebat esse secundum carnem, & simul Davidis Dominus semper fuerat.. Neque Principum aliquis è posteris Davidis intelligi potest, qvi pie-tate & vitæ sanctimonia ei à latere ponendus; Hic enim non simpliciter solet dici David, sed esse sicut David, ambulare in viis David, 2. Reg. XV. 3. XXII. 2. Hugo Grotius cui religio est statim hic de CHRISTO cogitare, cum Davidis Regis fit mentio, & bonum DEI commemoratur, Zorobabelem esse intelligendum existimat, & ex semine Davidis prognatum Davidem dici, qvemadmodum à Ptolomæo ejus successores Ptolomæi, à Cæsare Cæsares. Sed fallitur. Hic enim nuspia Davidis nomine insignitur, qvemadmodum Messias, & ea ipsa loca, qvæ pro Zorobabeli adducta sunt, Ezech. XXXIV. 23. 24. XXXVII. 24. 25. non nisi de Messia agunt.. Adhæc eadem fide, eodem cultus religiosi genere Rex David cum Jehova dicitur colendus, ergo ejusdem qvoque cum hoc majestatis & gloriæ erit.. Accedit non de corporali, sed spirituali reditu h. l. sermonem esse, & novissimorum temporum nomine illa Zorobabelis non posse venire.. Pluribus huic sese sententiæ oppo-suit CALOVIUS in Bibl. illustr. ad h. c. De Messia interpretantur ομοθυμαδον Christiani interpretes, qvi debebat esse filius Davidis, 2. Sam. VII. 12. Jer. XXIII. 5. Eſ. IX. 6. 7. & in N. T. talis dicitur, Matth. XV. 22. XX. 30. 31. Apoc. V. 5. Imo ipse David, Ezech. XXXIV. 24. qvi tanti nominis mensuram replebat, Actor. XIII. 22. Hebr. X. 7. Solenne qvoq; est Hebræis, ut nomina parentum Patronymica suman-

sumantur pro filiis & posteris, & qvod uni proprium, qvandoq; imponatur alteri ob similitudinem vel typum. GLASSIUS
Phil. S. L. IV. Tr. III. obs. 19. & de *CHRISTO Davide p. 1875.* FESSE-
 LIUS in *adv. S. P. II. pag. 375.* CALVÖRII gloria *CHRISTI pag. 123.*
 HUETIUS in *Demonstr. Evang. pag. 560.* HAVEMANNUS in *Weg-
 leuchte p. 91.* Hunc expresse nominat Chaldæo: כִּרְדוֹר מֶלֶכְתָּהוּן וּשְׂתַמְעָן לְמַשִּׁיחָה. Et obædient Messiae filio David Regi suo. Sic qvoqve
Jer. XXX. 9. dicitur, & consentiunt ad eum locum ex ipsis
 Judæis Paraphrasis Chald. R. D. Kimchi, AbenEsra, Abar-
 benel, &c. Sic qvoqve ad h. l. AbenEsra: וְאֵת דָוִיד מֶלֶכְתָּהוּן זֶה הַמְשִׁיחָה כָּמוֹ וְדָוִיד עֲבֹרוֹ נְשׂוֹתָה לְהָם לְעוֹלָם Insignis igitur
 hæc prophetia de regno *CHRISTI* est, ad qvam forte ipse
 Spiritus S. digitum intendit, qvando particulam תְּאֵן alias
 conjungendam h. l. distinctivo accentu notat, qvo in casu à
 Lutherò vertitur ea daju auch *Gen. 1.16.* de qva Ribera etiam
 ex Paul. Burgenfi observat: Ex eo plane colligi, Davidem illum jam
 venisse, quamvis ipsi eum non qverant. Non enim dicit: veniet David
 Rex eorum, sed qverent eum, qvi scil. jam venerat, & pudenda sunt
 commenta, qvæ Judæi de duplice Messia tradunt, Vid.
 EISENMENGER *P. II. Cap. XIII. CALVÖR. gloria CHRISTI pag. 541.*
 RAYMUNDUS in *Pugione Fid. P. II. CXL. GAL. II. L. V.* MÜLLERUS
 in *Jud. det. Cap. XXIII.* Qvia autem Israëlitæ per Messiam DEO
 & vero DEI populo erant conjungendi, hinc describitur
 altera officii porte, qvod sit futurus Rex ipsorum. Neqva-
 qvam verò intelligitur regnum mundanum & temporale, de
 qvo multa svavia somnia fovent adhuc dum Judæi vid. EISEN-
 MENGER *P. II. C. XII. pag. 721. seq.* Sunt qvoqve ipsos inter Chri-
 stianos qvi de reditu in terram possessionis ipsorum non
 omnino desperare jubent, ita ut Messiam ibi adorent, non
 cultu Mosaico, sed N. Testamento conformi, ejus regnum
 agnoscant, cum Christianis unum cœtum constituentes. Huj9



sunt sententiae WITSIUS l.c. CIX. pag. 375. HEINR. JAC. van BAS-HUYSEN in *Dissert. de Judæorum conversione*, Clavi Talmudice ab initio inserta. Auctor des regles pour l'intelligence de l'ecriture P. II. ap. auctores Innoxiarum Relationum Anno 1717. p. 85. PETERSENIUS in *Tract.* die Warheit des herrlichen Reichs Jesu Christi / th. VII. OLIGER PAULI à WAGENSEILIO in der Hoffnung Israëlis adductus pag. 29. Verum obstant illorum sententiæ diræ, qvib⁹ totale ipsis excidium, *Hof. I. 6. 2. Reg. XVII. 18. 20. indictum*, EISENMENGER p. 719. P. II. Ipsimet Judæorum Magistri non nisi dira duraq⁹ ipfis omniantur, & nunquam Israëlem redditurum existimant. R. SAL. ad b. c. inquit: **אָרֶשְׁמַעַן כִּי מִנְסֵא אֵין מְרַאֵן סִימֵן טֻוב לְיִשְׂרָאֵל** *Dixit R. Simeon filius Menasja: non ostendetur signum bonum Israëli. In Tract. Sanhedrin C. XI. dicitur, X. Trib⁹ non reversuras,* **עֲשָׂרֶת שְׁבָטִים אֵין עַתְּהָן לְזִיהָר שָׁבֵן** *Deut. XXIX. 28. R. If. Abarbenel cum Dav. Kimchio diserte scribunt, neutiquam sciri utrum X. Tribus superstites sint nec ne... Adhæc Scriptura nil qvicqvam de tertio ædificando templo novit, & qvæ de instauratione urbis Hierosolymæ habet, ea in imagine sicut regnum CHRISTI erigendum temporibus N. T. qvod phrasibus sui temporis plerumqve describunt Prophetæ. Omnis enim mundanus & corporalis administrandi regni & domandi hostes modus, alienus est à regno CHRISTI, Hof. I. 7. Ipsimet quoqve Judæi Traditionem habere dicuntur, qvod tertio non sicut possessuri terram Canaan, teste HEEWICO in Vindit. locorum Scripturæ V. T. ad Ezech. XL. Et quanto non hoc solatio foret Judæis, eorumqve duritiei præsenti robur adderet, hæc si ipfis adhuc residua foret spes? Accedit denique hoc maxime adversarii statui regni CHRISTI, hoc in mundo, & imprimis ultimis temporibus futuro, qvod tanquam paruum & variis calamitatibus pressum imo vix residuum, quo propius à fine seculi abest, describitur sacris in literis. Non igitur de regno aliquo terreno*



terreno h. l. sermo est, in qvod moderni Judæi ad Regem ipsorum sint colligendi, sed de Spirituali. Reversuri enim dicuntur ad Dominum suum, qui est מלך אלהים וְיוֹהָה Talia autem sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subiectis. Talis qvoq; erat Messias constitutus Rex in monte Sion, Petr. II. 6. qvem de Messia esse interpretandum evincunt, GERERUS in Comment. in Psalms & CALOVUS in Bibl. illustr. ad b. l. Spiritualis autem hic Rex sicut nobis non tanquam nudus homo, sed ut Θεόν Θρωπόν DEUS & homo. Hominem eum esse Davidis nomine insinuatur, cuius ex semine fuit prognatus, Rom. I. 3. IX. 5. DEUM autem esse eundem ex cultu divino patet, qvo à conversis dicitur afficiendus, cum eodem studio, qvo Rex DEUS & Rex ille David qværendus dicatur. Adhac Rex Israëlis spiritualis dicitur. DEUM autem Israëlis ac Regem ipsorum dici, ejusdem sublimitatis & majestatis est. Nullus enim Israëlis est Rex nisi DEUS, & nullus DEUS, nisi qui & Rex ipsorum. Evidentissimum igitur hoc testimonium Deitatis CHRISTI est, qvo ipso qvoque duarum naturarum unio in eo insinuatur, cum Prophetæ de Messia tanquam de una persona loquantur, LUTHERUS ad h. l.

¶. xx. Addit denique Propheta novam convertendorum obœdientiam, tanquam pœnitentiæ fructum, qvod scil. timore non servili, sed filiali DEUM sint veneraturi. יְפַחֲד־אֱלֹהִים וְאֶל־טוֹבֵן Et pavebunt ad Dominum & ad bonum ejus. LXX. πατέσθησονται επει τῷ κυρίῳ, καὶ επὶ τοῖς αὐγαδοῖς ἀντίτεσται פחד significat Pavit, expavit, metu perculsus est, & usurpatum tum de timore filiali piorum & pœnitentium, Prov. XXVIII. 14. Job. XXIII. 15. tum de servili impiorum Ps. XIV. 5. Es. XXXIII. 14. tum alio graviori, qvo quis hostis atrocitatem timet, aut graviora mala ingruentia, Deut. XXVIII. 66. 67. Ps. LXXVIII. 53. vid. STOCKIUS in Clave L.S. LEIGH. in Crit. S. & GUSSETI9 Comment. Prima significatio

ficiatio hujus loci est. Pavor enim ille est non diffidentiae & dubitationis, sed fidei & reverentiae. Qui enim DEUM in CHRISTO quaerunt & agnoscunt, pavent quidem & trepidant, non tamen ut fugiant ab eo tanquam severo judice, sed ut concurrent ad eum tanquam benignissimum Patrem filiali amore & reverentia, quae conjuncta est cum serio studio vitandi peccata, orta ex apprehensione CHRISTI tanquam summi omnium Domini & benignissimi Patris. *Prov. XXVIII. 14. Mal. II. 5. LXX.*
 καὶ ἐνέστολαι quasi attoniti praे reverentia futuri sunt. In gremium enim Ecclesiae Christianae recepti, quasi paventes & attoniti praे magnitudine beneficiorum, cum consideraverint eam, DEUM omni reverentia prosequentur, ne tam benevolum offendant Dominum. *Chald.* *רוֹתְנָהָן לְפָלַחֲנָא רֹוּ*
 & congregabuntur, (accedent) ad cultum Domini, quo ipso ad cultum N. T. respicitur, vid CALOVIUS in Bibl. illustr. R. Sal. Ben-Melech in Michlal Jophi פָּרוֹשׁוּ שׁוֹפָחָרְוּ וַיַּרְאֻוּ מִמְנוּ וַיָּנָהָרְוּ אֶלְיוֹן. *Explicatio ejus est;* *Pavebunt* וְtimebunt præ illo, וְconfluent ad illum. Additur autem וְאל טoco וְאל טoco ad bonum ejus. RR. de temporibus hoc intellectum volunt bonis. Ita Aben Esra ad h. l. שִׁישׁוּ בָּמָרָה בְּכָא הַקֵּץ אֶלְעָזֶר אֶרְצָם בְּמַרְוַצָּה פָּתָע פָּתָע כְּדָרָךְ Revertentur cum festimatione cum venit finis in terram eorum incitato cursu (cito citissime) sicut dicitur Hos. XI. 11. Aduent sicut avis, וְc. R. DAV. KIMCHI inquit: רְשָׁמְעֵן בֶּן יוֹחָאי: אָמַר בְּשֶׁלְשָׁהָר וּבְרָבָרִים מַאֲסָר וַיְשַׁלֵּחַ בְּרַחֲבָעָם בְּמַלְכָוֶת שְׂמִים וּבְמַלְכָוֶת כִּירְצָה דָּיוֹד וּבְיִצְחָק הַמָּקוֹר הַהָּרָה מָה לְנוּ חָלֵק בְּרוּדָג R. Simeon filius Jochai dicit: *Tria spreverunt Israëlitæ in diebus Rebaberami: Regnum cœlorum, Regnum Domus David, וְdomum Sanctuariorum.* Illud ipsum est quod dicitur i. Reg. XII. 16. Quid nobis partis in Davide וְc. אמר ר' שט unin בן מנשיה אין מראין סיטן גָּאולָה לִישָׁר עֲד שיחזו ויבקשו שלשתן ההר אחר ישבו בני ישראל ובקשו כי זה מלכות שמים יאת רוער מלכם כמשם עופחו אל יי ואל טובו זה כת

בֵּית הַמְּקֻרֶשׁ כִּמְהָ רָא תָּמִרְתָּ הַר הַטֹּוב הַזָּה וְהַלְכָנוּ . Dicit R. Simeon ben Menasia : Non videre faciet signū redēptionis Israēli usq; dum revertantur & qvārānt Dominum . Illud ipsum est qvad dicitur (Hos. III. 5.) Postea revertentur filii Israēl & qvārent DEUM b. e. regnum cōlorum , Et David regem suum secundum sensum literāe , & pavebunt ad Domīnum & ad bonum ejus , b. e. domo sanctuarii , sicut dictum est Deut. IIII. 25. montem bonum hunc & Libanon . Verum qvæ Judæi de felicitate hac terrena ipsis adhuc futura somniant , ea ipsis forsan in Utopia & ad proximas Calendas Græcas eventura sunt .. Qvam vana adhuc deludantur spe eventus satis tristis docet , & qvem alii sub finem sexti millenarii nunc ponant terminum , ille forte finis omnium futurus , juxta communem Traditionem Elianam . RAYM. PUG. fidei P. II. C. II. in obs. conferantur qvæ proximè præc. §. dicta sunt . Alii ipsam Majestatem & gloriam DEI intelligunt . Exod. XXXIII. 18. 19. רְבִינוּ סְעִירִיה פָּרָשׁ אֶל טוֹבוֹ אֶל כְּבוֹדוֹ כְּטוֹ אֲנִי אַעֲכֹר כְּלֵי טוֹבוֹ עַל פְּנֵי R. D. KIMCHI . Rabbenu Saadja interpretatur , ad bonum ejus , i. e. ad gloriam ejus . Sicut scriptum est . Ego transire faciam omnem bonitatem meam coram te . Verum præstat sensum bonitatis proprie dictæ eligere , cum Majestas DEI terrorem incutiat , bonitatis autem sensus nos ad DEI reverentiam & observantiam adducat , Ps. CXXX. 40. Alii ipsum CHRISTUM Salvatorem intellectum volunt , qvippe qvi ipse Jehova & bonū DEI est , Matth. XIX. 17. Job. IV. 10. In hoc certe χρησόλης & φιλανθρωπία nobis illuxit , Tit. III. 4. Hic versatus in diebus carnis suæ inter Judæos , ipsorum morbos non modo curavit , sed & in animarum solatium verbum suum prædicavit , & fideim in primis atque beneficentiam vrsit .. Qvam ipsimet qvoqve moderni Judæi , horrendas inter blasphemias , CHRISTI beneficentiam erga majores suos fateri cogantur , ex Mass. C. V. & ipso famoso de generatione JESU Tractatu deduxit , BRAUNIUS in Analectis

S. L. III.



S. L. III. §. 40. Non refragamur adeò horum sententiæ, modo primo loco eorum ponatur, qvi gratiam in Evangelio prædicatam & bona regni cœlorum, Redemptionem, adoptionem, fidem, Remissionem peccatorum, sanctificationem &c. &c. intelligenda volunt. TARNOVIUS JOH. & SEB. SCHMIDIUS. Vera sententia est, qvod in N. T. per Evangelium prædicabitur aliud nihil quam immensa DEI bonitas, qvæ per CHRISTUM filium DEI ostensa est, & qvod hanc cum admiratione amplexure sunt reliquia Israël tum inter Gentes sparsæ. Sed cum hac prædicatione & cultu qvomodo convenit Pontificis doctrina, qvi Mediatoris officium à CHRISTO transfert in Divos, & non bonitatem DEI, sed durum & acerbum Judicium prædicat? Deinde cogit, ut homines suis studiis & operibus tam durum & implacabilem animum mitigent. LUTHERUS ad h. l. ז significant bonum omnis generis, qvod afficit seu corpus, seu animam, & sic de bonis divinis à DEO collatis adhibetur, Exod. XXXIII. 19. Ps. XXVII. 13. XXXI. 20. Neb. IX. 35. in specie infert bonitatem & amorem DEI erga homines, Ps. XXV. 7. Es. XXIII. 7. bonitatem seu prosperitatem status, Ps. CXXVIII. 5. Prov. XI. 10. Job. VII. 7. Hinc omnis generis bona qvoqve intelligi possent, qvæ pœnitentes & conversi Israëlitæ erant percepturi, ad qvæ indicanda Abstractum pro Concreto ponitur. Hinc alii per HENDIADYN interpretantur, ad tantam ejus bonitatem pavebunt, qvod populum non credentem, & contradicentem tam benigne ad se vocaverit, qvod promissionis patrum post tot annos recordatus fuerit, qvod tot donis ditarerit immerentes. Ribera.

§. XXI. Tandem temporis qvoqve fit mentio, in qvod incidere debebat hæc conversio. Futurum hoc erat כחרות in novissimo dierum. Vulg. J. T. in post venturis diebus, SCHMIDIUS in extremitate dierum, chald. בסוף ימיא in fine dierum, LXX. ἐπ' ἐχάλων τῶν ημερῶν ultimis diebus. Phrasis est in Scriptura S. tam V. qvam N. Testamenti usitata, qvæ tempora

tempora plerumq; novissima exprimere solet.. Novissima autem tempora dicuntur non tantum qvæ post se nulla alia habent, sed & ratione præcedentium, qvæ excipiunt alia, Gen. XLIX. 1. Dan. II. 29. 2. Tim. III. 1. 2. Qvæ h. l. sint intelligenda vexatissima interpretes inter qvæstio est. Sunt qvi ad tempora solutæ captivitatis Babylonicæ digitum intendi volunt, qvos inter Sanctius est, & qvi ab ipso adducti sunt ; sed ad hæc non qvadrare superius evictum est. Ab his longè recedunt, qvæ ad adventum usque CHRISTI secundum fæse recipiunt, illa intelligentes tempora, qvæ à fine mundi proprius absunt. Trata hæc Patrum tantum non omnium est sententia, qvam interpretes magno numero seqvuntur, qvi conversionem aliquam Judæorum insigniter futuram adhuc statuunt. Verum trita sit licet, non tamen tuta satis est, qvod in ipsius qvæstionis tractatione demonstrabitur.. Communis est sententia textuique accommoda, hac phrasi indicari tempora adventus CHRISTI in carnem qvando in V. T. occurrit.. Hæc enim dicuntur novissima non tantum sequentium, qvippe qvæ nullum aliud novæ œconomiæ insecum est ; sed & antecedentium respectu, qvatuor millenarios V. T. continentium. Hinc etiam dicuntur dies ultimi, Hebr. I. 1. τέλος τῶν οἰώνων, 1. Cor. X. II. 1. Thess. II. 16. ἐχάρησα, 1. Joh. II. 18. ἔχατον τῶν ἡμερῶν, 2. Petr. III. 3. Idem quoq; observatur à præstantissimis Judæorū Magistris. Sic AbenEsra ad locum nostrum : וְכֹן כַּתֵּב הַרְטָבֶן בְּפִרְשַׁת וּדְרִי. יעקב שָׁבֵל מָקוֹם שָׁנָאכֶר כֹּו בְּאַחֲרוֹת הַיּוֹם הוּא לִימֹת הַמָּשִׁיחַ Ita scribit R. Moses Bar Nachman ad Gen. XLIX. qvod omnis locus, ubi dicitur בְּאַחֲרוֹת הַיּוֹם intelligendus sit de Messie temporibus. Et R. Dav. Kimchi ad Ef. II. 2. כל אַחֲרוֹת הַיּוֹם הוּא לִימֹת הַמָּשִׁיחַ emne ultimum dierum designat tempus Messie. Sed si accuratio rem rationem habuerimus omnium illorum dictorum , in qvibus occurrit hæc phrasis deprehendemus, non perpetuam

H

esse



esse ipsi hanc significationem, sed denotari tempus, quo id de quo tunc agitur, consecutum est, sive fuerit ante tempus Messiae seu post illud, seu ipso tempore Messiae: quod autem determinate sit intelligendum dijudicandum ex rebus ipsis, & ex consequentibus & antecedentibus. Probat hoc RIVETUS ad b. l. ex Gen. XLIX. 1. Dan. II. 28. GUSSETIUS tamen in Comment. ad hanc vocem sic: (1) Benè Messiae tempus dicitur ultimum, quia ultima est œconomia DEI erga Ecclesiam (2) Potest plus temporis spectari, quam œconomia Messiae, modo illa includatur Gen. XLIX. 1. Dan. II. 28. (3) Potest minus temporis comprehendendi, quam œconomia Messiae, modo intra eam res fiat. Sic forte Dan. XI. & XII. phrasin usurpat, & sane recta ratio docet hoc sufficere ad dicendum rem in ultimo tempore geri, si geratur in ejus parte. (4) Non est quærendum, quod nam medium inter primum & ultimum assignare possimus, quamvis enim non possemus, nihil referre. Ut ut tamen sit, hic de temporib⁹ Messiae agi h. l nullum plane est dubium, modo antecedentia consuluntur. Distinguunt quoque CALOVIUS in Bibl. illustr. ad b. l. & GERHARDUS T. VIII. LL. CC. de Novissimis §. 6. inter dies novissimos absolute & secundum quid, universaliter & particulariter tales. Illi respectu totius mundi, omniumq⁹ populorum tales dicuntur, hi autem ratione certæ gentis, potissimum Hebraicæ. Hos intelligendos vult GERHARDUS l. c. In V. T. vocatur dies novissimus tempus παρεστίας sive adventus CHRISTI in hunc mundum i. e. incarnationis τόπος Eſ. II. 2. quia sub finem V. T. ea erat secutura. Plures in hunc sensum adduxit CALOVIUS c. l.

§. XXII. Habent autem novissima hæc tempora suas Epochas. Ultimis enim diebus factum dicitur aliquid, quod vel in initio N. T. Mich. IV. 1. Hebr. I. 2. vel in medio 2. Tim. III. 1. vel in extrema ejus parte est peractum, Dan. XII. 4-9. 2. Petr. III. 3.

Quæri



Quæri solet, qvodnam tempus h. l. sit ponendum, & an præcise ad particulam aliquam N. T. sit referendum? Volunt hoc haud pauci, & ultimam eligunt præcipue, qvi adhuc spe meliorum temporum nituntur. Verum infirmo cum hæc sententia stet talo, ruit qvicqvid ei superstructum est. Primam qvi ponunt partem tantum intelligendam, non habent rationem paucitatis conversorum ex Israëlitis inde resultantis, respectu subsequentium temporum. Nos à partibus eorum stamus, qvi per אַחֲרִית הַיּוֹם totius N. T. tempus, qvod Messiæ tempus audit, intelligunt, à nato CHRISTO ad interitum usque mundi duraturum, adeoqve successivam, non autem simultaneam & universalem Judæorum conversionem ex h. l. colligunt. Extremitas enim dierum de temporibus Messiæ adhibita non modo ipsum adventus Messiæ spatum, sed & totum illum tractum temporis post exhibitum CHRISTUM ad summationem usqj seculi, adeoqj duos illos postremos annorum milenarios, oppositos qvatuor jam elapsis juxta vulgatam Eliæ supputationem, vid. Galat. CX. Lib. IV. RAYM. PUG. Fid. P. II. Cap. II. in obs. secundum superius dicta notat, adeoqj & hujus loci illa significatio est. Additur enim hæc temporis circumstantia, ad iudicandum, hæc beneficia promissa regno Messiæ potissimum esse reservata novissimis diebus, quo in spem & patientiam erigerentur electi Israëlitarum. Prima igitur si tantum intelligerentur N. T. tempora, qvid de reliquis futurum esset Israëlitis? Accedit promitti vocationem eis, qvi inter Gentes dispersi erant, & à DEO ad tempus propter idolatriam abjecti, ad CHRISTUM Messiam, in communionem Gentium, vocandarum per Evangelii prædicationem. Hoc autem beneficium non ad initia tantum prædicationis Evangelicæ pertinet, sed ad finem usque mundi perdurabit.

πλήρωμα καιρῶν ταῦ θεραπείας cum ultimo CHRISTI adventu con-

H 2

jungi-



jungitur, *Luc. XXI. 24.* & prædicatio Evangelii inter gentes cum consummatione seculi, *Matth. XXVIII. 19. 20.* Adhæc quoque futuri sunt ex Israële quæsituri Messiam Regem suum, eousque complementum hujus quoque vaticinii durabit. Semper autem futuri sunt ex Israële, qui vera ad DEUM conversione sunt quæsituri Messiam. Equidem præcipua hujus conversionis gloria ævo debetur apostolico, hoc autem elapso, plurimos ad CHRISTUM hinc inde fuisse conversos monumenta historiarum ad nostra comprobant tempora. Præterea ordinaria atque successiva à Propheta prædicturæ conversio, quæ fit per תְּבִשָּׁה ad DEUM & תְּשִׁקָּה inquisitionem verâ & salutari DEI agnitione, & fiducia in CHRISTUM institutam; hæc autem omnibus temporibus N. T. eadem futura est. Ipsa denique historia N. T. optima hujus sententiae magistra est. Suos enim inter cum versaretur Salvator in Judæa & Galilæa primum prædicavit in urbe maritima Capernaū, sita in finibus Zabulon, *Matth. IV. 3.* & aliquoties testatur sese missum non nisi ad perditas oves Israélis, *Matth. XV. 24.* Ad has quoque ablegabat non tantum Apostolos, *Matth. X. 6.* sed & primi quoque ex his qui ad apostolatum vocabantur, Petrus, Andreas frater ejus, & Philippus fuere ex Israélite, nati scilicet omnes Bethsaïdæ in Galilæa, *Job. I. 45.* Post ascensionem autem CHRISTI cum his prædicaretur Evangelium, magno numero convertebantur non modo gentes, sed & Israélitæ aut ut Judæi, aut ut Samaritæ, aut denique ut Gentiles. Myriades enim Judæorum tunc temporis fuisse conversas patet ex *Actor. II. 41. 47. XXI. 20.* Quid, quod Ecclesiæ illas magis ex Judæis quam gentib[us] fuisse collectas multis rationib[us] probet BRAUN. in *Selectis S. Lib. I. §. 10.* Subsequentibus seculis haud exiguum numerum Judæorum ad cœtum Christianorum fuisse congregatum illorum temporum monumenta tradunt, quæ videri possunt.



possunt citante NEUMANNO in *Diss. de convers.* vid. §. 5. apud Centuriatores Magdeb. singulis capitibus, quae de conversione agunt; PAPPUM de *Conversionibus Gentium*; D. HELVICUM in *Elencho Judæorum*; RUTMETSCHIUM de *conjecturis ultimi temporis*.

§. XXIII. Neque etiam existimandum captivitatis tempore, aut ante Christi manifestationem in carne nullos omnino ad DEUM fuisse conversos, aut post hujus adventum omnes omnino Judæos, vel etiam maximam eorum partem conversum iri. Nullum enim est dubium, quin inter exules Israëlitas multi verum DEUM agnoverint & resipuerint, alii qui relicti erant in terra possessionis ipsorum Judæorum cœtui sese addixerint, DEUM patrum suorum vero cultu venerantes. Longe lateque inter Gentes erant dispersi, adeò ut *Joh. VII. 39.* εὐτὴν διασπορὰ τῶν Ελλήνων in dispersione Græcorum dicantur, non ad evitandam aliquam persecutionem, quemadmodum illi quorum *Acto VIII. 1. 4. XI. 19.* fit mentio, sed quod ipsis in locis fixas haberent sedes, *Act. II. 8. sq.* LEYDECKER. de *R. H. P. II. Lib. V. Cap. VI.* Multo verò copiosior futura erat Israëitarum conversio temporibus Messiae, utpote in quibus superabundantiorem & efficaciorem ipsis exhibitus erat gratiam. Solenni enim prædicatione ad regnum CHRISTI erant invitandi, & cultu publico eum veneraturi. Non tamen omnes omnino aut maxima eorum pars fidem CHRISTI suscepturni, id quod & ipsius Scripturæ S. & RR. testimoniiis comprobari potest. Specialis enim est prædictio incredulitatis Judæorum, & maledictio, quā premuntur, facta, *Deut. XXVIII. 25. 28. 36. 65.* *Ps. LXIX. 24.* Hæc vaticinia in Judæis impleri testatur Paulus *Rom. XI. 9.* Accedit durities cordis & mediorum rejectio, quā statim à principio N. T. verbo adversati, quæcumq; ad finem seculi duratura est, *Luc. XXI. 32.* Vocandi eqvidem & invitandi ad regnum CHRISTI erant omnes: Conversio autem ipsa,



non nisi de reliquiis tantum asseritur, non tamen ex culpa Dei, sed Judæorum. Promissiones enim divinæ de salute Judæorum Messiaæ tempore conditionales erant, scil. si Messiam ipsū recepturi ei que obtemperatur essent. Maxima igitur eorum pars si per CHRISTUM spiritualiter non fuit salvata, quin imo temporaliter quoque perdita, mirum illud videri non debet cum ipsum verum Messiam neque receperint, neque audire voluerint, quin potius occiderint. Hinc Scriptura V. T. **וְתַחֲרֵךְ שָׂרוֹר שָׁרוֹת שָׁאָר פְּלִיטָה** Judæos aliquando convertendos promiscue dicit, & tanquam residuos, reliquias, superstites, reliquias, &c. considerat, *Ez. X. 20. 21. 22. XI. u. 16. Mich. V. 2. 3. 7. 8.* quo ultimo loco mira convertendorum paucitas prædicitur. Imo sistuntur ut spicilegium olivarum & racemorum finita vindemia, *Ez. XXIV. 13.* ut grana tritici à paleis separata, *Amos IX. 9. LXX.* eos λεῖμα, καλάθιμα vocant, quibus vocibus & Paulus utitur *Rom. XI. 5. IX. 27.* modo etiam λειώσις, καλαθιστής, διασωζόμενος. Ipsimet quoque Judæorum Magistri in libro Sanhedrin dist. chelec fatentur, non omnes salvatum iri Messiaæ tempore, sed valde paucos. **רְסֻמָּא אָמַר נָאָמַר וּלְקָחָתִי אֶתְכֶם אֶחָד מִעֵיר וְשַׁנִּים מִמְשָׁפָחָה וְנָאָמַר וּהְבָאתִי אֶתְכֶם מִקְרִישׁ וַיָּצַאֲתֶן מִמְצָרִים לְבֵיתָהּ לְאָזֶן מִהְוָתָהּ לְאָרֶץ שְׁנִים מִשְׁשִׁים רְבּוֹאָתָה אֲפִיְצָיוֹתָהּ מִמְצָרִים שְׁנִים מִשְׁשִׁים וּבְבוֹאָתָהּ פָּרָשׁ וְהַשָּׁאָר מִתוֹבְשָׁלָשָׁת וּמִהְאָפָלהָ אָמַר רְבָאָתָהּ וְכֵן לִימּוֹתָהּ הַמְּשִׁיחָה שְׁנָאָמַר וּעְנָתָה שְׁמָרָתָהּ כִּימָיו נְעוּרוֹדָתָהּ וְכֵן עֲלוֹתָהּ מִארֶץ מִצְרָיִם.** R. Simai dixit, dictum est (*Jer. III. 14.*) **וְאַסְעָמָם וּסְעָמָם** vos unum de civitate & duos de familia: Et dictum est (*ibidem*) Et introducam vos &c. Comparatus est egresso eorum de Aegypto ingressui eorum in terram. Quemadmodum introitus eorum in terram duo de sexcentis millibus. Glossa R. Sal. Reliqui vero mortui sunt in tribus diebus obscuritatis. Dixit Rabba: Et sic erit in diebus Messiae. Sicut dictum est, (*Hof. II. 15.*) Et respondebit ibi sicut in diebus juventutis seu pueritiae suæ, & sicut in diebus



diebus ascensionis ejus de terra Ægypti. Quid clarius & distinctius ex hac Traditione elucescit, adductis eam in rem apertis Scripturæ S. dictis, quam duos de sexcentis millibus, i.e. paucos ex multis salvatum iri temporibus Messiae. Alii autem erant destruendi, aut penitus damnandi secundum dictum, Hos. IX. 15. Propter malitiam operum suorum de domo mea expellam eos, non addam diligere eos, (i.e. nunquam diligam eos) Plura dabit GALATINUS Lib. IX. Cap. II. Superbi autem sunt nimium quantum Thalmudici, cum dicunt: עשרה השכטים און להם חלק לשלם הבא שנ וויתם משל ארמתם באת ובחות זגדול זג Decem Tribubus non esse partem in futura vita, sicut dictum est: Deut. XXIX. 27. Abjecit eos Iehova desuper terra eorum in ira, & in extandescientia & in fervore magno. Non tamen omnes sunt tam rigidi in fratres suos, sed promittunt nonnulli his redditum tempore Messiae, quemadmodum videre est apud Abarbenelem Es. XI. & Majmonidem de Reg. Cap. XI. qui characterem ponunt Messiae, quod נורא וישראל collecturus sit separatos vel dispersos Israëlitas.

§. XXIV. Atque sic absolute nunc vocum, phrasiumque, & quæ ad hermeneuticum dicti nostri scrutinium pertinent, examine, explanatisq; eorum difficultatib; sensus hic evadit: Israëlitæ X. Tribuum adeò ad incitas per longissimum temporis spatium esse redigendos, ut nulla ipsis in posterum sic remansura forma nec politiæ nec Ecclesiæ visibilis, imo ne quidem cultus idololatricus, cui sub Regibus suis fuerant assueti. Subsequentibus autem temporibus Messiae quam plurimos ex ipsis conversum iri ad CHRISTUM conversione ordinaria & successiva per pœnitentiam ad DEUM, & fidem in CHRISTUM. Minime igitur Prophetæ sermo est de conversione aliquæ extraordinaria & insigniter adhuc ante extremum diem futura Judæorum, id quod in sectione Problematica nunc pluribus erit demonstrandum.

SECTIO III.



SECTIO II.

Problematico - Elenchtica.

AN speranda adhuc sit Judæorum modernorum solennis qvædam Conversio ex hoc imprimis dicto comprobanda?

Rz. Affirmant qvæstionem complures, qvos inter tantum eminent, quantum lenta solent inter viburna cupressi, Doct. JOH. CHRISTOPH. WAGENSELIUS, in specie in der Nachrichtigung wegen einer der Jüdenschafft angehenden wichtigen Sachen / & D. Joh. WILH. PETERSENIUS imprimis in Tract. Die warh. des herrl. Reichs I. C. Th. VII. ita tamen ut in modo Conversionis haud leve sese objiciat inter ipsos discrimen. Provocare autem solent tantum non omnes in comprobanda hac thesi ad nostrum præcipue locum, ex eo maximum sibi promittentes robur. Nos, qvi huic minus favemus sententiæ ex hoc ad minimum eam non posse probari firmiter sumus persuasi. Non enim.

(1) Sermo est de Judæis latè ita dictis, sed de filiis Israël i.e. de X. Tribubus qvæ Duce Jeroboamo verum veri DEI Israëlis cultum deseruerant, & idololatrico sese dederant cultui. Accuratis enim limitibus distinxerat Propheta Cap. I. & II. regnum Judæ à regno Israëlis, & de hoc, regno Judæ contradistincto, ipsi sermonem esse evincunt prædicata, v. 4. Qvæ autem Propheta distinxit nostrum non est commiscere. His sunt, qvi idololatricum seqvebantur cultum vitulorum Gilgale & Bethèle, à quo Judæi strictè ita dicti abhorreabant, Cap. IV. 15. XII. 3. 4. 7. 10. n. Atque hunc etiam in sensum cum fœmina adultera in initio hujus capitis comparantur. Opponuntur ergo (a) qvoad diversitatem cultus. In Judæ regno verus adhuc DEI cultus, Cap. XII. 1. in Israëlis regno autem idolola-

idololaticus habebatur. (b) Qvoad affectus divini diversitatem. Judæos cohortatur DEUS ad constantiam, & intensius pietatis studium, *Cap. XII.* proposito cum Jacobi exemplo, *vers. 4. 7.* tum fato Ephraimitarum, *Cap. X. n.* gratiamque ac in hono confirmationem promittit, *Cap. XII. 10. n.* Israélitis contra excidium denuntiat passim perpetuum. (c) Qvoad restitutionis diversitatem. Judæis promittitur tamen temporalis, quam spiritualis restitutio. Temporalis *Cap. I. 7. XII. 10.* Spiritualis *Cap. II. 2. VI. n.* Israélitis autem tantum Spiritualis *Cap. II. 1. 2. III. 4. 5. XI. 9. 10. II. XII. 13. 15. XIV. 3. 9.* Moderni autem Judæi ad Tribus duas ex captivitate Babylonica reduces pertinere sese jactitant, qui quovsum X. Tribus pervenerint sese nescire aperte profitentur.

(2) Indicari h. l. Israélitas Tribus in Assyriam deportandas, *Capita IX. 17. XIII. 15. XIV. 1.* aperte loqvuntur. At horum incondita multitudo partim sub communi Judæorum, partim sub Gentium nomine, cum quibus coaluerant jam conversa est, & quorum hodie adhuc tantopere urgetur convercio, ii potissimum in Europa exilium colunt, licet reliqui non excludantur, qui tamen duarum tantum Tribuum propagare esse volunt.

(3) Loquitur Propheta de Israélitis, Gentibus pariter ac Judæis in externo cultu oppositis. Non ergo moderni intellegi possunt Judæi, quippe qui Judæis aliis quoad cultum externum non possunt opponi. Nullibi enim hodie supersunt Judæi, quibus adhuc supersit Ephod & sacrificia. Ubinam dantur hodie Ethnici Assyriis in cultu externo, מזבח & comprehendente, æquiparandi? vivunt plerique Judæi hodie inter Christianos & Turcas quorum neutri colunt תרפים & מזבח. Non ergo de modernis Judæis Prophetæ sermo esse potest.



(4) Opponuntur Judæis Regem habentibus & Principes; Atqvi hi erant duæ Tribus Juda & Benjamin, ante captivitatem Babyloniam Reges, post eam autem Principes habentes. Utrisq; destituti dicuntur Israélitæ. Opposita ergo cum sint simul, manifesto id est indicio, Israëlem innui in exilio apud Assyrios degentem eo tempore, cum Juda adhuc Regum & postea Principum gauderet potestate. Hos Judæos diserte Propheta opponit Israéli, Cap. I. 7. Cum enim dixisset, non porro miserebor domus Israëlis, neque pœnam ipsis denuntiatam, suspendam, subjicit: At domus Juda miserebor & salvabo eos in Domino DEO ipsorum, idque non arcu bello, ferro, eqvib; & eqvitibus. His verbis innuit revocationem duarum Tribuum ex captivitate Babylonica, & reductionem in terras avitas. Utramq; hic opponit gentem. Illi restitutionem corporalem promittit, huic autem eandem denegat Regibus & Principibus privandæ, qvibus illa usura. Non ergo gens Judaica moderna potest intelligi, qvippe nulli opponenda Tribui adhuc sceptrum habenti.

(5) Sermo est de Israële una cum electis Judæis Davidem communem Regem habituro. Querent Jebovam DEUM suum, i.e. David Regem suum, Cap. III. 5. Qvod autem illum una cum Judæis sint qvæsiti, habetur, Cap. II. 2. Et congregabuntur filii Juda & filii Isræl pariter, & constituent sibi unum caput. Ex hoc patet impletionem hujus vaticinii ad ea spectare tempora, qvibus Tribuum distinctio adhuc erat salva, qvæque hodie perii, cum Tribus jam plane sint confusæ. Ad minimum valebit adhuc oppositio inter regnum Judæ & deportatum Israëlem. Ut enim antea inter utrumque regnum perpetua alevatur inimicitia, ita eam tempore Messiae prorsus existinctum in Esaias testatur, Cap. XL. 12. 13.

Has autem promissiones dudum esse impletas jam tempore scil. Apostolorum, clara docent N. T. testimonia. Paulus

Rom. XV.



Rom. XV. 8. testatur CHRISTUM fuisse ministrum circumcisionis ob veritatem DEI ad confirmandas promissiones Patribus factas. CHRISTUS ergo effectum dedit hoc ex Esaia allegatum promissum, quod de CHRISTO agere disertè affirmat Paulus *vers. 12. Rom. IX. 24.* Vocavit nos non tantum ex Judæis, sed & ex Gentibus, prout per Hoseam locutus est : *Vocabo populum meum, qui non erat populus dilectam meam, quae non erat dilecta.* His verbis clarè satis assertur vaticiniū hoc impletum esse in Ecclesia, ex Judæis pariter & Gentibus tempore Pauli constituta. Ergo & id quod Capite III. habetur, eadem tempestate ; cum sit ejusdem argumenti ac prioris plenior expositio. Hæc igitur collatio cum æqua ponderatur mente, facile intelligi potest, quid per **אחריותם** intelligi debeat. Totus scilicet ille tractus temporis intelligitur, qui inde ab Apostolorum temporibus ad diem novissimum fluxurus erat. Hunc enim novissimorum temporum venire nomine superius dictum est. Non autem in fine, sed initio horum postremorum temporum conversionem hanc Judæorum fuisse exspectandam apertis verbis testatur Paulus *Actor. XXVI. 6. 7.* Vocantur hi二人, qui ex Judæ regno & disperso Israële in unum gregem coacti, & sub unum caput Davidem scilicet reducti erant, **δωδεκαφυλον**, qui tamen numero non pauci, sed multæ myriades erant. Pro his enim CHRISTUS mortuus, scilicet non tantum pro gente Judaica, quæ tum adhuc aliquas sceptri reliquias tenebat, sed & ut dispersos filios DEI reduceret, *Job. XI. 51. 52.* His quoque suas inscriperant Epistolas Paulus, Petrus, Jacobus ταῖς δωδεκα φυλαῖς ἐν τῇ διασπορᾷ. Qualis verò conversio tempore CHRISTI & Apostolorum quæ multos Israëlitas impleta est, talis ab Hosea fuit promissa, & adhuc nostra est, adeoque totius N. T. tempore **בְּאַחֲרֵי־הָרָמִים** est exspectanda Judæis ; Sed fuit illa ordinaria, particularis & successiva, ut eventus hactenus docuit, & Hoseæ

verbā indicant, qvæ de conversione loquuntur facta, תשיכה
 & בְּנֵשָׁה, qvæ per salutarem peccatorum agnitionem & filia-
 lew in CHRISTUM fiduciam fit.. Ergo.

Equidem objici solet maximam Judæorum turbam non esse conversam: Ast nec de eorum universalī conversione nullum habetur promissum.. Omnibus qvidem vocatio & invitatio ad regnum CHRISTI promittitur, at nusquam legitur omnes actu conversum iri, sed conversio de reliquiis tantum afferitur.. *Reliqvie convertentur*, Es. X. 20. omnis qui scriptus fuerit in libro viventium, Dan. XII. 1. Multi ex Judæis tempore prædicati Evangelii, & qvidem ex iis, qui in vero timore DEI huc usque persisterant, Messiæ adventum exspectantes, Apostolis præfractè contradixerunt, atque ita ad cœtum malignantium defecerunt, qibus CHRISTUS fuit offensioni, Luc. II. 34. Actor. XIII. 43. 45. Job. IX. 41. Multi contra prædicationē Evangelicæ cesserunt, conversi ad cœtum piorum.. Ii autem, qui non admiserunt Evangelium usque ad hæc tempora magno qvidem numero exulant Christianos inter & Turcas, non tamen propterea absolute sunt reprobati, sed & ii possunt converti, si conversionis media admittunt, Rom. XI. 23.

(b) Excipitur, non posse innui X. Tribus, quippe qvæ ante captivitatem neque Sacerdotium, neque Ephod habuerint.. Verum, qvamvis hæc non haberent ratione loci, erat tamen ipsis qvoad jus & usum.. Ad omnes enim Tribus hæc ornamenta & privilegia pertinebant.. Adhæc usus illorum vel legitimus, vel illegitimus erat, ut superius commemoratum est. Hic à Jerobeamo introductus erat, & magnificiebat ab ipsis Israélitis.

(c) Multos Israélitarum tum ante, tum post exilium Babylonicum in regno Judæ vixisse, adeoque non in miserrimo Rei-



Reipublicæ & Ecclesiæ statu ab Hosea h. l. prædicto. Verum ambab⁹ licet hoc largiamur, non tamen exinde concludi potest nullos Israélitas tum alibi locorū sine Rege & sine lege vixisse. Ex conditione autem satis misera minimæ partis non debet æstimari felicitas numerosissimi populi.

(d) Excipi solet, de conversione Judæorum Apostolorum tempore facta h. l. non posse esse sermonem, cum conversionis fiat mentio, tum eventuræ, qvando sine Rege, Principe, sacrificio & altari multis diebus fuerint; Hæc autem ipsis adh. Apostolorum tempore fuisse magna ex parte, & post excidium Hierosolymæ totale eos his demum fuisse privatos. Verum distingendum censemus inter conversionis initium & illius continuationem. Initium factum est temporibus Apostolorum, qvæ erant jam ultima tempora respectu antecedentium.. In iis erant sine Rege, & Romani imperii jugo subjecti. Pro-Regis qvidem nomine gaudebat Herodes, potestate verò carebat.. Inclinatæ Judæorum res in statu Politico & Ecclesiastico præcipiti qvotidie gradu ferebantur in pejus, & suis tandem penitus exuebantur Judæi privilegiis, cum à Romanis solo æqvaretur Hierosolyma.

(e) Volunt, conversionem Apostolorum tempore factam exiguum fuisse intuitu multitudinis relictæ in tenebris cui tamen h. l. promissio fuerit facta. Verum sciendum, h. l. non tantum indicari conversionem Judæorum Apostolorum temporibus factam, sed & qvæ successu temporis continuanda, & ad finem seculi perduratura fuit. Hujus non exiguum esse numerum, qvæ si non excedit numerum eorum in tenebris adh. hærentium, non tamen exiguis est. Et omnes omnino, vel maximam etiam eorum partem conversum iri, neqve assertum à nobis, neqve ex textu probatum dari potest.

(f) Denique in contrarium afferri solet ipsa experientia,



qvæ testatur, Judæos adh. in incredulitate & miserrimo statu h. l. depicto esse constitutos, adeoque conversionem eorum adhuc esse futuram ; verum, non dicitur in hoc Capite omnes omnino Judæos esse convertendos , sed omnibus vocatio & invitatio ad regnum CHRISTI promittitur, neqve de terreno aliquo, sed spirituali regno sermo est.

Manet igitur firmum fixumq; de X. Tribubus h. l. sermonem esse, qvas inter haud paucos futuros, qvi omni tempore N. T. successivè & ordinariè fidelium cœtui sint aggregandi.

Ad astruendam tamen sententiam hanc de conversione Judæorum in fine seculi adhuc futura multa afferri solent ab adversæ partis patronis, qvæ si exanimanda nobis sumerem⁹, integer foret conscribendus Tractatus. Quo tamen de potioribus aliquid constet, ea saltem attingemus. Præcipuum autem omnium est, qvō multi etiam ex præstantissimis nostris Theologis permoti in contrarium abire, & patres omnium seculorum de Judæorum Conversione intellexisse peculiari Disputatione probare allaboravit DREIERUS, contrarium tamen evincente CALOVIO in Bibl. illustr. ad h. l. qvod peti solet ex XI. 25. 26. Cap. Nolo vos ignorare mysterium, ne sitis apud vosmet ipsos sapientes, qvod induratio parti Judæorum accidit, donec plenitudo gentium fuerit ingressa, ac ita totus Israël salvabitur. Scopum vaticinii esse putant : Nicht / daß es GOTT bei der Juden Fall bewenden lassen wolle / sondern daß Er an ihrer Stelle / nach dem unerforschlichen Abgrund seiner Gerichte die Heyden berufen wolle / und wenn dieses geschehen / so werde Er sich der Jüden wieder erbarmen. Sed Rz. Hoc ratione processum mundi convertendi ab Apostolis institutum inverti. Primum enim Judæis erat annuntiandum Evangelium, postea Gentilibus, Actor. XIII. 48. (2) Reprobatio Judæorum, & Gentium in ipsorum locum adoptio jam erat facta,



facta, Rom. IX. 1-4. Postquam enim DEUS electos Judæos collegit, una cum electis ex gentilitate, vers. 24. 30. Israëlem refractionem abjecit, vers. 31. 32. 33. coll. Cap. X. 16. 21. Qvod autem (3) hic plenior gentilium in Ecclesiam ingressio promittitur; ea subsequentibus accidit seculis, cum in Conversionis negotio alia fuerit aliam secuta natio, usque dum ipsi tandem Imperatores Romani fidem amplectentur Christianam. (4) De ea Conversione Judæorū, Apostolo scribente quæ contingere debuit, h. l. sermonem esse patet, quā Gentilium superbiam reprimere posset, omnes omnino Judæos penitus esse abjectos arbitrantium. Qvod autem Pauli jam tempore multi Judæi fuerint conversi acta Apostolorum, Cap. XXI. 20. docent. (5) Finis plenioris conversionis Gentilium inter alia erat & Judæorum abstinatorum plenior Conversio, quibus hoc pacto in memoriam revocabatur, vaticinium Jacobi, de gentium congregatione ad regnum promissi Messiae, esse impletum, ut adeo nulla ipsis amplius suppeteret contradicendi copia. Atque ex hoc elucet (6) qvod etsi DEUS Judæos abjecisset, non tamen absolute reprobarit, sed ita, ut omnes converti possent nemine excepto, si & ipsi præjudicia sua abnegent, & Gentes officium παραγγελώσεως non intermittent. Hic enim scopus est verborum Pauli: DEUM non absolute reprobasse populum suum, sed & velle & posse omnes convertere. Parti repudiatæ obvenit πάρωσις, donec ingressa fuerit Gentium plenitudo, ac ita omnis Israël poterit salvari.

Excip. I. Conversionem Judæorum Apostolo dici *mystérium*, qvod fieri non posset, si tenuis quædam successivè facta indicaretur. Numerosum igitur & miraculi plenam innui. Sed Rz. fieri hoc, qvod capi non posset, illum populum, qui auctorem vitæ interficerat, & tam suo, quam omnium posteriorum capiti omnia mala precatus fuerat, adhuc liberum esse habi-



Habiturum aditum ad CHRISTUM si meritum ipsius fide amplecteretur. (2) Gentiles firmiter erant persuasi, Judæos esse gentem abjectam, ac proinde se non obligari ad ejus conversionem procurandam. Ob hoc mentis præjudicium Judæorum Conversio Gentibus erat mysterium: ut enim Judæi capere non poterant, gentes in societatem Ecclesiæ Apostolicæ esse admittendas, *Act. X. 34.* Ita idem gentilibus conversis postea evenit.

2. Exc. v. 12. Si lapsus illorum divitiæ mundi, si diminutio eorum divitiæ Gentium, quanto magis plenitudo corū exinde per pronam consequentiam deduci posse censem, quemadmodum lapsus omnibus fuit communis, sic etiam conversionem fore universalem.

Verum r̄z. (1) Falsum est πάρωσιν toti obtigisse Israëli, parti enim tantum obtigisse aperte fatetur textus v. 15. conversis reliquiis. Negato E. antecedente, negatur & consequens. (2) Non sequitur exinde conclusum. Sensus enim est: Si occasione indurationis Judæorum gratia Evangelica mundo abundantissimè oblata, quid non futurum, si indurati convertentur? Annon tunc mundi conversio felicius adhuc urgetur, conjunctis Judæorum Gentiliumq; virib;?

3. Exc. Excœcationem contigisse Judæis, donec plenitudo Gentium introiverit vers. 25. Certum igitur denotari tempus in quod differatur Conversio, quo confecto, omnes excœcatos esse convertendos.

r̄z. Particulam *donec* non semper terminum fixum, sed & fluxum denotare, *Pf. CX. 1. CXXIII. 2.* Sensus igitur est: Duraturam esse quorundam Judæorū excœcationem, quoad Gentium multitudo fuerit ingressa in Ecclesiam, i. e. duraturam semper, siquidem ingressus Gentilium cum consummatione seculi conjugitur, *Luc. XXI. 24. Matth. XXVIII. 19. 20.* Ita autem



autem plenitudo Gentium non de omnibus sed de plenitudine à Deo definita, qvantam destinaverit est intelligenda. Quemadmodum plenitudo temporis, Gal. IV. 4. Epb. I. 10. non ita accipitur, ut nulla temporis portio excipiatur, sed de tempore, qvod divinitus præfinitum erat, exactè complendo, docente CALOVIO ad Rom. XI. 25. in Bibl. illustr.

4. Excip. Apertè dici: Et sic totus Israël salvabitur. Non E. magnam tantum partem, sed totum populum vel ejusmodi multitudinem, qvæ certo respectu totus populus dici possit, esse intelligendum. Spiritui S. enim in sacris familiare esse literis, totum populum pro maxima illius parte ponere. Sed Rz. Si de Israële Spirituali ex Judæorum parte & Gentium plenitudine constante, qvi *Israël Domini* dicitur Gal. VI. 16. qvo nomine etiam in V. T. Ecclesia N. T. utrumque populum complectens designari solet, hæc capiantur verba, nil facient ad universalem Judæorum conversionem stabilendam; Si autem de Israële secundum carnem intelligantur, pari ratione nihil obtinebitur. Sensus enim erit: Omnis Israël, qvi credit Evangelio, salvabitur. Hanc enim conditionem ponit Apostolus, vers. 23. nec ulla alia ratio salvandi extra CHRISTUM datur, Actor. IV. 12. Job. III. 16. Totus enim Israël despescitur in partem conversam, vers. 5. λεῖμα καὶ ἐκλογὴ & induratam πετωρεμένη dictam vers. 7. 8. 9. 10. Quemadmodū igitur reliquiæ electæ actu conversæ, sic & pars indurata poterit converti, ut ita totus Israël convertatur. Poterit inquam converti, si media gratiæ admiserit, qvam conditionem haud obscurè reqvirit Paulus allegatis Esaiæ verbis Cap. LIX. 20. Veniet Sioni Redemptor, qvi avertet impietatem à Jacobo. Et hoc est testamentum meum, qvando abstuleropeccata illorum. Hic Sioni sterili & omnibus sanguinem ab Israële ducentibus Redemptor promittitur, tam iis, qvi perstitere in veritate, qvam iis, qvi

K

veri-



veritatem premebantur. At his, non nisi cum conditione fidei & deserendæ reluctantiæ.

II. Objici solet : Conversionem Judæorum successivam non congruere cum vaticiniis tam illustrib⁹, majorem Ecclesiæ splendorem promittentibus. At si rectè ponim⁹ calculum ex antecedentib⁹ pariter & consequentib⁹ plurimorum dictorum elucescat, de corporali pariter ac spirituali felicitate agi, cuius redderentur participes post redditum è captivitate Babylonica. Et quāmvis hæ promissiones plus videantur ambitu suo complecti, quām contigit iis, tamen considerandum, earum impletionem pependisse à conditione hac, si scil. voci DEI essent obedientiam præstituri. Hoc autem cum non fieret ab ipsis, ecquid mirum multa remansisse in promissionibus contenta. Splendorem in primis Ecclesiæ qvod concernit, internus ille est, *Psalm. XLV. 14. Luc. XVII. 20.* nec aliter sunt interpretanda dicta.

III. Promitti Israëli revocationem ex omnib⁹ locis, in quatuor terræ plagis, *Deut. XXX. 3. 4. Ef. XI. 12. Jer. XVI. 14. 15. Ezech. XXXVI. 24. 26.* Hæc autem promissa non esse impleta tempore liberationis Babylonicæ ; Eo enim tempore ex una tantum plaga Judæos in terram Canaan scil. ex Aqvilonari rediisse; nec tempore prædicationis Apostolicæ, qvia pauci tunc temporis fuere conversi. Restare igitur putant aliud adh. tempus, quo magna Judæorum multitudo convertetur. Verum,

Rz. In genere his & aliis dictis compluribus congregatio Judæorum in omnes terræ partes disperforum ad CHRISTI Ecclesiam indicatur, qvæ futura erat partim temporib⁹ Apostolorum, partim postea ad finem usq; mundi continuanda. Initium describitur *Actor. II. 9. XXI. 20. I. Cor. I. 24.* (2) Omnes revocare ad Ecclesiam DEUS promittit, sed non absolutè verum cum expressa hac conditione, *Deut. XXX. 2.* Si audieris vocem



vocem ejus ab Apostolis prædicatam, *vers. 3.* Qvamvis autem ab Apostolis Israéli in IV. mundi plagas disperso prædicatum sit Evangelium, noluerunt tamen omnes illud admittere, *Rom. X. 18.* Hinc valet h. l. distinctio inter acqvisitionem & applicationem salutis. Illa, non hæc, ad omnes pertinet, unde etiam de reliquiis Israélitarum hæc modo asseritur, *Jer. XXXI. 7. 8.*

Excip. *Ezech. XXXIX. 28.* promittere DEUM sese ne unum quidem in terris Gentilium esse relicturum.

R^z. Crucem figit hic locus Interpretibus, adeò, ut CALOVIUS in *Bibl. illustr.* complures de eo adducat sententias. Qvam cunqve tamen elegeris, conversionem exinde Judæorum universalem non excusseris. Promittit enim DEUS Israélitis sese in patriam ipsorum ipsos esse collecturum, & ne unum quidem inter Gentes esse relicturum, cum juxta adversarios ipsos non ad unum omnes, sed plurimi tantū sint convertendi. 2. Activa verba sæpe non de actu, sed de conatu esse intelligenda. Colligam ipsos in veram Ecclesiam neq̄ relinqvam ullum ex iis, i. e. conabor colligere, ita ut nemo remaneat. Vel explicari potest textus de reliquiis Electorum. Pari ratione *Dan. XII. 1.* dicitur: Eo tempore eripietur populus tuus. Accipiendum hoc primo intuitu de omnibus & singulis videtur: at statim restringitur: omnis qvi inventus erit in libro vitæ. Qvod autem locus vel de conatu, vel de reliquiis intelligi debeat, apparet ex loco parallelo *Jer. III. 14.* Convertimini filii refractarii, nam post qvam duriter vos habui, recipiam vos unum ex civitate, & duos de familia, & reducam vos Sionem. En ubivis de reliquiis convertendis sermonem esse, qvos Paulus λεῖμα καὶ ἐπλογὴν vocat, *Rom. XI. 5.* Idem respondendum ad *Ezech. XXXVII. 19.*

IV. Deut. IV. 30. Postremis temporibus te convertes ad Jehovam DEUM tuum, & voci ejus obtemperabis. Putant hoc dictum non de alia, qvam hac ætate Judæorum intelligi posse. Verum

K 2

R^z. Loqui

R. Loqui Mōsen de exilio Assyriaco, in quo pīz reliqviæ Messiæ adven-tum exspectantes admodum parvæ numero, reliquis ad idolorum ligneorum ac lapideorum cultum prolapsis, vers. 27. 28. Hæc certè ad modernos Judæos applicari nequeunt, qvi qvia Messiam jam dudum manifestatum spernunt, & convitiis proscindunt, nullos inter se pios tolerant, nullos etiam, qvi idola linea & lapidea colant. Intelligetur ergo de Israëlis qvi Apostolorum tempore conversi, qvo DEUS ita recordatus est paci cum Patribus initi, ut iis Messiam promissum exhiberet.

V. 2. Paral. XV. 2 - 4. Transibunt autem multi dies in Israële absqve DEO vero, cumq; reversi fuerint, in angustia, &c. Hoc vaticinium ad aliud, qvam præsens applicari posse tempus negant, ante excidium enim Soly-mæū Israëlem Duce, Propheta, Sacerdote, Doctore non fuisse destitutū. Sed

R. Sermonem non esse de Israële qvatenus Judæis opponitur, sed de Judæis. Non enim Ducum, ut Hos. III. 4. sed veritatis defectus illis indicatur. Confirmat enim Propheta Assam Judæorum Regem in zelo pro veritate, eo qvod tempora sint futura aliquando Judæis, in qvibus veritas omnis exulabit. Cum ergo talia instent tempora, pīz reliqviæ excitantur, ut veritati serio adhærent, nec in illa miseria ad cœtum malignantium deficiant. Qvando autem qvaritur, qvænam illa sint tempora, tunc respondetur: non posse esse præsentia captivitatist tempora, qvibus non destituuntur Judæi vero Doctores. Nam dum inter Christianos exulant, veram doctrinam percipere possunt, modo sibimet ipsis non defint. Innuuntur tempora Pharisaismi & Saddu-cæismi. Hac enim ætate non quidem Ducibus & Judicibus destituebantur, veritate tamen divina carebant. Erant enim sine DEO vero, nec erat Sacerdos vera docens, nec doctrina vera. Hodie enim licet ex se non habeant veritatis Doctores, tamen inter Christianos habent, inter qvos exulant; Ita Pharisaorum tempore neqve ex se habebant veros Doctores, neqve alibi inventiebant publicam veritatis doctrinam. Minimè ergo hoc vaticinium ad hæc tempora pertinet, sed Pharisaorum ætate impletum est, inter qvos vera Ecclesia veluti captiva desidebat.

§. VII. Lss. XXI. 24. Jerusalem concubabitur à Gentibus, donec impletum tempus gentium. Hinc patere putant, tanto temporis inter-vallo Judæos indurationi suæ succubituros, qvante opus est ad ingressum plenitudinis Gentium. Sed

R. Per Hierosolymam non innui Judæos, sed urbem ipsam, mœnibus, templo



templo ac magnifica palatiornm structura insignem. Diserte enim opponatur Judæis ferro confodiendis, & in captivitatem abducendis. Hæc igitur conculcanda à Gentibus, donee Gentium tempora impleta. Per Gentes qvivis impii Ecclesiæ insectatores intelliguntur, ut patet ex versu subseqvente. *conf. Apoc. VI. 15 - 17.* Donec terminativum quidem est, & terminat Conculcationem Solymorum, non tamen exinde seqvitur: Ergo Judæi convertentur, aut Hierosolyma redificabitur, sed hoc: Nunquam Hierosolyma reficietur. Duratura enim conculatio Solymæ dicitur, usq; ad impletionem temporum Gentium. Qvaris qvando hæc implenda? Subjicitur: *Nam erant signa in Sole, Luna &c.* & hæc inter signa veniet CHRISTUS, ad judicium, ad plane liberandos pios à persecutione Gentium Anti-Christianarum.

§. VIII. Maxima admiratione esse dignam Judæorum in hunc usq; diem conservationem. Separatim enim vivunt ab aliis Gentibus, neq; cum illis commiscentur. Argumento hoc est, DEUM singulare quid huic destinasse populo.

R. Judæi in hac sua conservatione præ reliquis gentibus nihil habene principiū, cum simili conservatione Turcæ & qvævis aliæ gentes, & quidem majori jure fruantur. Horum enim conservatio cum dignitate imperii; Judæorum autem cum servitute & exilio conjuncta est. (2) Judæos ita conservari pertinaciaz ipsorum est argumentum, & per consequens iræ divinæ. Intentio enim DEI erat, ut cum Christianis in unum populum coalescerent, non tantum spiritualiter, sed & politicè, ex Gentium ubivis terrarum ad CHRISTUM conversione arguentes, JESUM Nazarenum esse verum Messiam. Qvia autem tam palpabilem ad verum Messiam manuductionem obstinatè repudiant, manent quidem peculiaris populus, sed servituti, exiliis atq; plurimis aliis calamitatibus obnoxius, qvibus carere possent, si Christo nomen dantes, cum Christianis affinitatis foedera inirent, ad dignitates & Magistratus & qve ut Christiani provehendi. (3) Neglecto itaq; hoc consilio eventualiter destinantur non ad miraculosam conversionem, qvam, qvicunq; Judæis præter DEI verbum pollicetur, illi qvam longissimè eos à Conversione absterrent, sed ad duos hos fines, (1) ut qvivis in iis animadvertat DEI severitatem in punienda obstinata incredulitate, *Rom. XI. 22.* (2) ut CHRISTUM, qvem repudiant, tandem in novissimo die ad judicium è cœlis redeuntem agnoscant, vel inviti confessuri, ipsum in nomine DEI venisse, *Matth. XXIII. 39. Apoc. 1. 7.*



IX. Omnem prorsus Conversionis spem miseris adimere velle, impium esse assertu.

R. Neminem Christianorum esse arbitramur, qui absolutè omnem Conversionis spem Judæis adimat, siquidem Christianus, qua talis, agnoscere debet, DEUM serio velle omnium hominum salutem. Cum autem DEUS neminem immediate salvet, duo ad Judæorum conversionem reqviruntur, (1) Christianorum inter quos degunt seria παραγγέλωσις. Ea autem non est privati cuiusdam hujus illiusve Doctoris, sed res Principum ac integrorum Collegiorum. (2) Judæorum prudens obsequium. Publicam παραγγέλωσιν jamdudum excitarunt nostri, B. DAN. WASMUTHUS & RAVIUS datis ad Magistratus & Presbyteria literis secularibus Anno 1670. Eandem excitant adhuc quavis privati Doctores, quos editis scriptis Judæorum dogmata confutant. At quod quisque est Principum, qui seriam curam ac cogitationem suscipit de conversione Judæorum procuranda? Ne dicam deniq; contraria assertione provocari magis Judæorum sententiam, & mirum quantum stabiliri, cum Judæi moderni veritatem doctrinæ suæ concludere ex ea, atque Christianos ad Synagogam invitare soleant. Factum hoc à RR. Amstelodamensi⁹ cum P. JURIEU ederet Tractatum suum, L' accomplissement des Prophéties, dictum, in quo iisdem armis militat pro chiliastro, quæ Judæi gerunt. Vid. NEUM. Disp. de Chil. Subt. Disp. I. §. 17.

X. Lev. XXVI. 42. Recordabor fœderis mei cum Jacobo, etiam fœderis mei cum Iсаaco, etiam fœderis mei cum Abrahamo iniui, & terra recordabor. Hęc verba volunt moderni Judæi sese repræsentasse in cœlo sub exortu siderū, astris in figuram contraria literarum, & quibusdam locum puncrorum impletib⁹, Romz, ao. 1699, in Mense Decembri visa. Hoc portento Judæi comoti hebdomadarum diem constituerunt pœnitentiale, DEUM rogantes, ut sese præparare vellet ad Messiam, quem Anno 1707, ope Cabbalæ in his verbis invento, exspectarent, digne excipiendum. Referunt hoc literæ Theosophicæ Heliopoli editæ Anno 1700. Ex hoc colligunt, non parvo hoc indicio esse Conversionem Judæorum proximè futuram. Verum

R. Cabballisticam hanc esse computandi rationem, qua Judæos delusos fuisse experientia jam dudum comprobatur. Hoc tamen si visum fuit Phænonem, quod vix ac ne vix quidem credimus, monere debuit Judæos, ut tandem aliquando salutis suæ curam habeant, idq; tanto diligentiores, quo certius est, diem judicij extremi non procul abesse. Manet enim sua veritas & vis

& vis huic promisso divino in hoc loco existenti. Promittit DEUS sese recipiaturum foederis cum Patriarchis initi, se velle DEUM ipsorum, & seminis ipsorum esse, ubicunque etiam terrarum exulentes. At non absolutè hoc promittitur, sed si sibi benedicant in semine Abrahæ i.e. si CHRISTUM, qui omnis benedictionis auctor, vera amplexi fuerint fides. Hæc enim potior pars foederis est. Negata autem hac conditione, negatur etiam reducio ipsorum in patriam i.e. veram Ecclesiam Cananæ αντίτυπον.

§. XI. Auctoritas denique multorum Patrum primitivæ Ecclesiæ objicitur, quos in Disp. de Conversione Judæorum Dreieri adductos, & à Calovio enumeratos, vide in Disp. de hoc capite, pariter ap. Voëtium T. II. Disp. Sel. p. 126. 127. & plurimorum Doctorum recentioris ætatis, quorum numerum secundum Academias iniit, SPENERUS in der gl. Lehr / Dom. II. Adv.

R. Non auctoritate sed scripturæ S. testimoniis est pugnandum. Auctoritates humanæ ad normam, Scripturæ S. sunt examinandæ (2) Theologi illi sententiam illam defendunt tantum ut probabilem, aut non penitus rejiciendam, & soli DEO exactè notam, nullus autem illorum cum spe majoris adh. revelationis & felicitatis Ecclesiæ, quod hodiendum fieri deprehendimus. Placent hunc in sensum Neumannii verba in Disp. de Conversione Judæorum, quæ inter Disputationes de Chiliasm subtilissimo IV. est: Illi, qui adducuntur partim falso adducuntur, utpote nostræ, si rectè examinentur verba eorum, sententia, partim ad saniores postea redire mentem, alii per modum voti & desiderii illud exprimunt, quidam ambiguè & diffidenter loquuntur, & vel τὸ εὐχεῖν arripiunt, vel salvo meliori judicio expromunt sententiam, plerique de insigni quadam & luculenta Conversione differunt, quæ utrum præcesserit, vel secutura sit, relinquent in medio. Paucis, nemo omnium est qui cum deletione Anti-Christi, iteratione præconii Evangelici, & futura hujus seculi felicitate eam conjunxerit, & petitis ex pharetra Judæorum argumentis defenderit mordicus, atque inter divina & indubitate diei extremi retulerit signa, denique cum quadam proposuerit necessitate. (3) Numerus eorum haud exiguis est nostræ qui sunt sententia, adeo, ut si pugnare licet auctoritate, ea nobis nequaquam desit. Eorum initre numerum nostri non est instituti; unum adduxisse sufficiat Lutherum. Hunc quidem pro sua sententia adducunt adversarii, quippe qui in Post: Eccl. Fest. S. Stephani hunc in sensum allegatis dictis Deut. IV. Hos. III. Rom. XI. concludit. GÖTT gebe / daß die Zeit nahe sey / wie wir hoffen. Amen! Verum mutasse eundem postea mentem



mentem ex compluribus aliis patet locis, *Post. Eccl. Dom. III. Adv. T. IV.*
Jen. pag. 110. T. III. Altenb. pag. 312. aliisque locis, & omnium maxime
ex hoc testimonio: Vom ganzen Haussen mag hoffen wer da wil; ich habe
da keine Hoffnung / weiss auch davon keine Schrift. Können wir doch unsere
Christen den größten Haussen nicht bekehren / wie viel weniger ist's möglich diese
Deusseis - Kinder alle zu bekehren. Dass aber etliche aus dem XI. Capitel an
die Römer diesen Wahn schöpfen / als solten alle Juden bekehret werden am
Ende der Welt / ist nichts. *T. VIII. Altenb. f. 208.* Misere igitur fallitur
auctor *Anonymous à M. CAR. GODOFR. ENGELSCHALLIO in Prajudicis de capi-*
tibus fidei adductis pag. 769. existimans vix ac ne vix quidem dari Theo-
logum Biblicum contrariae qui non sit sententiae, & indicium esse infelicis
Exegetae, hanc qui impugnet. Opponimus ei ex multis hos paucos, at
quantos! *GERHARDUM, VINARIENSES, OSIANDRUM, CALOVIMUM, T. XII. Syst.*
Theol. dicentem pag. 145. Nullum de tali conversione simultanea reperitur in
Sacris documentis, ac ne iota quidem unicum. Quae adduci solent agunt de suc-
cessiva conversione Israëlitarum, & quidem maximè sub auspicio N. T. non de
simultanea novissimorum temporum.

Atque hæc de Conversione Judæorum hodienum minimè speranda;
neque ex hoc dicto comprobanda pro ratione instituti nostri. Plura qui
legere discupit adeat Systemata passim, aliosque ex instituto de eo agentes.
Addenda nunc erat Sectio III. Porismatica. Verum crescente sub manu
opere, alii eam reservamus occasiōni, ex animo precantes, ut quotidianie
addantur decrescenti Gregi JESU CHRISTI, qui fidem suscipiant,
& digne vocatione sua ambulent,

S. D. G.

